SCHEDIASMA POSTHUMUM
DE
COERULEO
&
CHRYSOCOLLA,

Autore

D. JOH. LAURENTIO
BAUSCHIO,
Phyſ. quondam Svinfurt. Ordin.
&
Academiæ Naturæ Curioſorum Præſi-
de bene merito.

JENÆ,
Impenſis VITI JACOBI TRESCHER,
Bibliopolæ Vratislav.

Typis JOHANNIS NISII.
M DC LXVIII.

Google

Lectori Benevolo

Salutem & felicitatem!

ITa Illuſtribus pariter & Literatis Viris ſolenne ſimul & laudabile eſt, Bibliothecas alere; Illi quidem interdum ad publicos uſus, ſæpius tamen ad oſtentationem; Hi ad ornatum & neceſſitatem. Sic inſtructiſſimam etiam Bibliothecam, cum ceteris rarioribus Curioſis, cùm Naturalibus tùm Artificialibus habuit

Beatus & adhuc-dum Famigeratisſimus ACADEMIÆ Noſtræ FUNDATOR, JOH. LAUR. BAUSCHIUS, Reip. Svinf. quōdam Phyſ. bene meritꝰ, quod teſtari Ii, qui coram αὐτόπται & Spectatores fuerunt, qui autem non, perfectam illius Ideam ex ſcriptis editis habere poterunt; In qua poſt beatam Viri ἀνάλυσιν etiam remanſit inexcuſum, curioſum hoc de Cœruleo & Chryſocolla Schediaſma, quod etſi adhuc ante beata fata quibusdam Dnn. Collegarum ad videndum transmiſerit,

planius

planius tamẽ & plenius procul dubio, niſi Parcarum inclementiâ ſublatus fuiſſet, Tibi illud exhibuiſſet; Ne autem tantus labor cum detrimento famæ τοῦ νῦν Μακαρίτου Bauſchii, & communis utilitatis interiret, publici juris & uſus Schediaſma hoc fieri curavimus. Bene utere, Bone Lector, & bene Vale!

Svinfurti, 20. Decembr. 1667.

PHAËTON.

◆§(*)§◆

D. O. M. S.

MOnſtra horrenda, infanda, inviſa, informia forti
Alciden dextrâ perdomuiſſe ferunt.
Monſtra horrenda, infanda, inviſa, informia geſtant
Mentis in obſcurâ nube Melancholici.
Hæc domat, enervat generoſis BAUSCHIUS *armis,*
Quid ni is ſit nobis ALTER ALEXICACUS?

P.

Johan. Michaël Fehr, D.
Reip. Svinf. Phyſ. Ordin. & p. t. Conſul, Colleg. Nat. Curioſ. Argonauta & Præſes.

Ad Excellentiſſimum

DN. D. JOH. MICHAELEM FEHRIUM,
Imperialis Urbis Svinfurti Phyſicum, S. R. Imp. ACADEMIAE NATURAE-CURIOSORUM PRAESIDEM *digniſſimum*
ARGONAUTAM
Excellentiſs. DN. Doct. BAUSCHII,
Anteceſſoris meritiſſimi
JASONIS CURIOSI
OPUS POSTHUMUM
De COERULEO & CHRYSOCOLLA
Edentem.

Dum

DUm *Lapidum* vires perluſtrat mente ſagaci
BAUSCHIUS, infauſto *Marmore* contegitur.
O diram Fati Legem quæ concutit ARGON!
Non Palinurus iners naufragus haurit Aquas;
Germanæ Sociæ ſed *Turbæ Ductor* IÄSON,
Heu, *Lapides* luſtrans, incidit *in Maleam!*
Ætitem dederat Mundô, *Schiſtonque* rubentem,
Cæruleum ſequitur, jam *Chryſocolla* nitet.
Poſt *Gemmas* nobis ſpondebas Munera rara
Naturæ, Ingenii Dexteritate Tui
Eruta viſceribus Terræ: ſed ſummus IÖVA,
TE BAUSCHI Æthereis Sedibus aſſociat.
Jam *Gemmas, Lapidesq;* terit, queîs undique ſplendet
Sacro-ſancta SALEM! Sidera ſumma premit.
Jamque ſupergreditur *Phryxum, Pegaſumq;* volantem,
Phoſphoron obfuſcans, *Heſperiumq;* jubar.
Poſthuma non moritur *Soboles* CHRYSOCOLLA, relictam
FEHRIUS hanc ulnis ſuſcipit atque fovet.
O FEHRI maneas per plurima Luſtra ſuperſtes!
Soſpite TE vigeat TEUTONA DOCTA RATIS.
ARGO triumphavit quam prudens NAUTA gubernat!
Luce *Tuâ* niteat *Phoſphorus* inde LAPIS.

Hiſce acclamabat è Vratislaviâ Sileſiorum
PHILIPPUS JACOBUS SACHS
à Lewenheimb/ Ph.& M.D. S.R. Imp
Acad.Nat.Cur.p.t. Adjunctus, Phosphorus.

Hoſtis

❧§(*)§❧

HOſtis alexicacus Bilis quod ſit Lapis ATRAE
LAZULUS, & qualis, quis ſit, & unde lapis.
BAUSCHIUS emeritus docuit nos hiſce pagellis,
Exultent ergò jure Melancholici.
Pax & grata quies cineri ſit; juro favilla
Non ſupereſt, quæ non ſit veneranda, VIRI.

fac.

Elias Schmiedt/ D. Reip.
Svinf. Phyſ. Ordin. Colleg. Nat.
Curioſ. Phaëthon & p. t. Adjunctus.

PROOE-

Procœmium Melancholico-Hiſtorologicum.

Melancholiæ ſigna manifeſta, dicente Galeno comm.in Hipp. 6. §. 23. & de ſympt. cauſ. l. 2. c. 7. & l. 3. loc. aff. 6. ſunt metus & mæſtitia absque cauſâ manifeſtâ. Et unum hoc, timor & triſtitia, omnib. melancholicis commune eſt. Aët. tetr. 2. ſ. 2. c. 9.

Imaginatrice enim facultate depravatâ *metuunt melancholici, ubi nihil metuendum; timent, ubi nulla cauſſa timoris* (Valeſc. de Tarant. Philon. l. 1. c. 13.) *triſtantur, ubi non opus triſtitiâ; lætantur, ubi minimè lætandum; fingunt* (ut loquitur Exc. Dn. Th. Bartolin. cent. 1. obſ. anat. 79.) *quæ nec picta usquam ſunt, nec ſcripta*; nihilque tam abſurdum & ineptum ſanis occurrere poteſt, quod

non melancholici ſibi imaginantur, & veriſſimum eſſe pertinaciſſimè credunt, ut ſcribit Sennert. Pract. med. l. 1. part. 2. c. 8.

Vapores autem à melancholico potiùs humore excitari inde noſces, quod æger triſtitiâ præter rationem, *mærore & metu afficiatur, optetq; mortem*, (deſideret mortem valdè: Serap. pract. tr. 1. c. 22.) *& averſetur eos, qui maximè videntur eſſe amici: ſuſpicionesq; falſas habeat, quaſi nonnulli velint eum interimere, aut gladio arrepto, aut medicamento exhibito.* Novimus autem ejuſmodi humorem etiam alias infinitas, peregrinas & multiplices imaginationes inducere poſſe. A. Trall. l. 1. c. 16. Aët. tetr. 2. ſ. 2. c. 9.

Pharmacopæus vicinus Angelo Patavii 1643. poſt eſum carnis agninæ, viſus ſibi eſt fruſtulum in loco ſuperiori dentis ultimi dextri ſeu gingivâ dentes excipiente, relictum ſentire, à quo ſenſim inflatâ gingiva, communicatoque tumore cum muſculo buccinatore, dextra gena intumuit, ut os vix poſſet aperire, imò gulâ clauſâ vix deglutiret. Imaginabatur enim ſibi, quippè melancholicus, *effaſcinatum ſe ab inimico*. Verior cauſa, judice Jala, fuit affluxus humorum, indeque orta inflammatio. Th. Bartolin. cent. 2. obſ. anat. 26. Alii melancholicorum *vident ſem-*

per

per & cum hilaritate imaginantur: (ridentes de non ridendis: Joh. de Concor. Lucidar. tr. 1. c. 23.) *alii cum ira & contentione:* (phreniticis ſimiles) *quidam ipſorum cum torpore multo ac ſegnicie, ut ipſi loqui nolint:* (ſtultorum more, quos Græci vocant moros) *nonnulli opinionibus addicti ſunt, & futura prædicere arbitrantur:* (ἐνθεαστικοὺς appellant hos Græci) A. Trall. l. c. quidam faciunt *ſe divinatores: alii præſcientes omnia.* Valeſc. de Tar. Philon. l. 1. c. 13. Ex ſtudioſo quodam apud nos Suinfurti, J. C. Pf. *verbum nullum neq; minis, neq; blanditiis extorqueri poterat:* primò ſupra modum comedebat, poſtea cibus illi, ut infantibus, in os ingerendus erat.

Quidam *affligebatur longo tempore vigiliâ, ridebat, cibos recuſabat, cantabat, concionabatur, diſputabat cum aſtantibus, verba neſcio quæ Latina Germanicis permiſcebat, omnium ſeſe doctiſſimum eſſe jactitabat.* M. Ruland. cent. 2. cur. empir. 47. Aliis videtur, *quod ſint magiſtri in omni ſcientiâ,* & incipiunt legere & docere, & tamen nihil dicunt rationale. J. de Concor. Lucidar. tr. 1. cap. 23.

Quidam *teſtam ſeu vas fictile ſe factum putavit,* atque idcircò obviantibus cedebat, ne collideretur. Galen. 3. loc. aff. 6. Al. Trallian. l. 1. c. 16. Serapio Pract. tr. 1. c. 22. A.

Laurent.diſcurſ. de Melancholiâ cap.7.pag. 70.

Medicus quidam Venetus eruditus, quotannis ſub caniculâ ſub tecto ſedens toto menſe commorabatur. Metuebat nempè ſibi ne frangeretur, ſi in parte ædium inferiore conſiſteret, quum *vas teſtaceum ſe crederet.* Finito menſe ad mentem ſanam & ſolita officia reverſus eſt. Th. Bartolin. cent. 2. hiſtor.anatom.26.

Hinc ſcribit A.Trall.l.c. Atque ex his (melancholicis) quidam ipſorum intervalla morbi temporibus quibusdam habent, ut etiam conſueta adminiſtrent: alii in continuâ dementiâ ſunt. Vide infra.

Alius non bibebat; *ſe laterem eſſe exiſtimans*, ne humore diſſolveretur pertimeſcens. Aret. diut. morb. l. 1. c. 6. A. Laurent. l. c. pag. 75.

Alii *corium* (βύρσαν; non corvum, ut allegat P.Foreſt.l.10.ſchol.obſ.12.) *ſe eſſe putarunt.* A. Trall. l. c. *cutem ſiccis pellibus ſimilem ſe habere.* Aët.tetr.22. c.9.

Quidam *ſe vitreum opinabatur*, quocirca amicis ſupplicabat, ne ad ſe propius accederent. Quercet. Diætet.ſect.1.c.9.pag.m. 53.A. Laurent. l. c. pag. 73.

Qui-

Quidam opinatus eſt *ex vitro ſibi conflatas nates*, ſic ut omnia ſua negotia atque actiones ſtando perficeret, metuens ne ſi in ſedile ſe inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde diſſilirent. L.Lemn. de complex. l. 2. c. 6. pag. 141. quod idem de inſigni Ambelodamenſium Poëta ſcribit Th. Bartolin. cent.1.hiſt.anat.79.

Alius *pedes ſe vitreos habere* imaginabatur, neque progredi audebat, ne pedes rumperentur metuens. A.Laurent.l.c.pag.75.

Ferrarienſis piſtor *ſe ex butyro compaginatum* jurejurando affirmabat, nulloq; pacto igni vel clibano approquinquare volebat, expaveſcens futuram corporis colliquationem, Sennert, Inſtit. l. 2. part. 3. ſect. 1. c. 7. & A.Laurent.l,c.pag.5.ex Marc.Donato hiſt. med. mirab,l.2.c.1,

Alter *gallos cantare audiens*, ut hi alarum ante cantum, ſic ille brachiorum plauſu latera quatiens, *animantium ſonum imitatus eſt*. Galen. 3. loc. aff. 6. A, Trall. l. 1. c. 16. A. Laurent. l. c. pag. 70. ex Galeno: ſimilantur gallis: Serapio Practic. tr. 1. c. 22. Joh. de Concoreg. Lucid. tr. 1. c. 23.

Alii *luſciniam ſe eſſe crediderunt*, & plorarunt quod Ityn perdiderint. A.Trall.l.c.

Quidem *ſe avem eſſe putabat*, nec alio cibo potuque uti volebat, quam quo aves utebantur. P. Zacchias de mali Hipochondriaci l.2. c. 25.

Eodem modo fuerunt, qui *ſe aves eſſe arbitrati ſunt*, ita ut ſe non moverint, niſi quum motis brachiis ad alarum ſimilitudinem volare crederent. Ph. Camerar. oper. hor. ſuccis. cent. 1. c. 72

Pleroſque etiam atrâ bile vitiatos, *ſe leones eſſe* vel *dæmones imaginari*, idem Avicennas autor eſt. Ph. Camerar. l. c. Quandoque imaginantur *ſeipſos factos reges*, aut *lupos* aut *dæmones*, aut *aves*, aut *inſtrumenta artificialia*. Avicenn. l. 3. fen. 1. tr. 4. cap. 19. & 9.

Regis Argivorum Prœti filiæ, *ſe boves eſſe credebant*, à Melampode Amythaonis medici clariſſimi filio, curatæ fuerunt.

Inter præſidiarios milites Cæſareanos Suinfurti erat quidam, qui conſtantiſſimè affirmabat, ſe per aliquot annos *aſinum fuiſſe*, & onera aſinina ſuſtinuiſſe: ex eſu poſtea liliorum alborum iterum hominem factum.

Huc refer λυκανθρώπυς, ſeu illos, qui ex corruptâ imaginatione ſe in lupos transmutatos credunt. Vide Ph. Camerar. l. c. Et hi lycanthropiâ morbo laborant.

De-

De lycanthropis olim ex Livoniæ Revaliâ, ad me civis noſter Dn. Joh. Seb. Marquardus Rector ejusdem Scholæ Senatoriæ & Paſtor poſtea Opalenſis. Referam, inquit, quæ hic vidi & audivi: Sunt in hac regione (Livonia) & reperiuntur iſti, ſed diabolicis præſtigiis faſcinati. Miſerum hominum genus eſt, & quo fere nullum ſub ſole miſerius, nobilium mancipia vivunt, in inopia hodierno ſunt contenti, de craſtino parum ſoliciti: Regio ipſa diuturnis bellis devaſtata & religio antehac obſoleta fuit, fermentô Ethnicô & Papiſticô, fructibusque qui ex eo promanant, teterrimis referta, inde illa Lycanthropiæ inveterata infamia. Lycanthropis quoque accenſet Mercur. l. 1. Med. Pract. c. 12. Nebucadnezarem, Aſſyriæ Monarcham, Dan. 4. v. 13. eumq; exutâ humanâ, in belluinâ formam transiiſſe cenſet, ſed vero ſimilius eſt ſtatuere ſalvam manſiſſe formam hominis externam, ſed diuturnô ſqualore, & ſub Dio ac dumis mora non nihil deformatam, ſalvam internã, animam ſc. rationalem, cum ſuis facultatibus, ſed quoad actum ſaltim primum, ſ. potentiam, non ſecundum, quo ad tempus ex ſingulari fato deſtituebatur; alioquin non reſtitutus, ſed novus homo creatus dicendus eſſet, id quod ſacris paginis omnino repu-

gnat. Ex comm. Ampliſſ. Domini Argonautæ.

De *Lycanthropiâ v. magicâ vel dæmoniacâ* vide Mart. Delrio diſquiſ. magic. l. 2. quæſt. 18. pag. 188. & ſeqq. Bapt. Codronch. de morb. venefic. l. 3. c. 7. Quibus addere libet hiſtoriam veriſſimam, quæ accidit propè pagum milliari uno cum dimidio Suinfurto diſtantem, Ebenhauſen / in præfecturâ ejusdem nominis Herbipolenſi, in cujus pagi arce eam recitari audivi à ſub-præfecto, (Cellarium vocant) Dn. J. M. R. & Dn. Parocho ibidem. Anno 1660. Menſis Junii die 8. 18. Venator illius loci Laurentius apud cadaver quoddam vaccinum offendit, ut ipſe conjicere poterat, lupam. Hanc globo bombardico ferit, & per collum tranſverberat, ut concideret, quam cum gladio venatoribus uſitato, Hirſchfänger / prorſus interimere tentat, illa ſe iterum erigendo, rictum metuendum oſtentat. Venator in pagum ſe confert, canes aſſumpturus, qui beluam vulneratã interficerent. Verùm cùm ad locum perveniſſet, ſanguinem quidem conſpicatus eſt, ſed lupam non offendit. Verùm eodem tempore balneatrix illius loci vetula, quæ ante quinque horas in balneo ſana & hilaris fuerat, ſubitò & improviſò ægrota facta fuerat, à vicinis, oſtio fra-

cto,

ſto, humi ſuper lecto in cubiculo decumbens inventa fuit, collo ſanguine madido, linguâ nigrâ magnitudinem debitam excedente, facie multis vulnuſculis deturpatâ: altero die animam efflavit; jamdiu â multis pro ſagâ vel venefica habita.

Hinc prædictus Delrio l. c. ita: Hoc autem ultimo caſu nihil mirum eſt, ſi poſtmodum verè inveniantur ſaucii illis membris humanis, quæ in ferino corpore ictum exceperant. Et l. 5. ſect. 3. pag. 708. Item ſi quis feram vulneraſſet, & in eodem membro mox vulnerata inveniatur perſona de hoc crimine infamata, ut in lycanthropis ſæpè accidit.

Si quis cerebrum urſi comederit, tantâ corripietur melancholiâ, ut ſe in urſum tranſmutatum ſibi imaginabitur, B. Schnurrn Kunſtbuch l. 6. c. 7. p. 489.

Milii ſemen ſe eſſe quidã imaginabatur, ideoq; cameram egredi nolebat, ne à gallinis abſorberetur. S. Guazzo de civil. converſ. l. 1. pag. 10.

Non ita pridem viſus eſt, qui *ſe omnium mortalium miſerrimum aſſerebat, quod nihil eſſet*. A. Laurent. l. c. pag. 37.

Lipſiæ quidam tantâ melancholiâ laboravit, ut crederet, *ſe eſſe mortuum*. Is deſcendit in cellam, in quâ dies noctesque ambulavit, dicens ſubmiſſa voce:

Sum mortuus, ſum mortuus: easque voces ſubinde repetivit. Amici vero cognatique ejus deſcendentes ad eum, volebant eum ex cella educere. Ibi ille: Quid, inquit, petitis? aut quid vultis? ego ſum mortuus: nolens cum ipſis egredi. Tandem excogitatum à medicis eruditis conſilium prudens, ut conduceretur robuſtus & vorax monachus. Quo adducto apparatâque in cellâ lautiſſimâ cœnâ, monachus cellam ingreditur, aſſidensque menſæ, ructus edit plurimos, ſimulque ſtrenuè vorare incipit. Ibi melancholicus prodiens, accedit menſam, interrogat monachum quis ſit? Reſpondit ille ſubmiſsâ voce: Ego ſum mortuus, Ego ſum mortuus. Subjungit melancholicus, auditâ hac reſponſione: Quis tu es? Reſpondit iterum monachus, Ego ſum mortuus. Ad hæc melancholicus quærit: Comeduntne etiam mortui? Reſpondit: Ita, veni, aſſide menſæ, & mecum comede. Ita aſſedit melancholicus menſæ, & ſtrenuè comedit: eâq; facetiâ curatus eſt, priſtinæque valitudini reſtitutus. J. Manlius libello medico, pag. 744, 745.

Ex relatione exempli cujuſdam melancholici, nolentis cibum ſumere, qui *ſe mortuum quoq; dixerat*, propè quem allata eſt ciſta ex medicorum conſilio, in quam alium quen-

dam

dam, qui ſe mortuum fingebat, poſuere. Hic v. in ciſtâ jacens, propè lectum melancholici caput ex ciſtâ erigebat, & ſe mortuum eſſe dicebat: at mox cibum delicatum ſumens, melancholicum ad cibum ſumendum illexit, inquiens, mortuos cibos ſumere ſolitos eſſe: ita & melancholicus idem cum faceret, ſanitati reſtitutus fuit. Quendam Theologum inſignem, qui ex deſipientiâ melancholicâ *ſe damnatum, infernum ac flammas ſentire, in gehennâ ſepultum eſſe, ſulphur ex ore exhalare, & cibum ſumere nolentem*, curavit Foreſt. l. 10. obſ. 12. Alius itidem *ſe mortuum, & ſine anima putabat*, ob idque cibum omnem reformidabat, quod mortuos edere negaret. Tandem optimo conſilio effictum cadaver menſæ accumbens, cujus exemplo cibum ſumpſit. Holler. de morb. int. l. 1. c. 17. in ſchol. edit. Paris. Foreſt. l. c.

Sic noſtrâ memoriâ vir quidam illuſtris in eum mentis errorem incidit, ut *mortem animo conceperit, ac ſe jam è vivis exceſſiſſe haberet perſuaſum*, adeò ut quum illum amici ac familiares ad inſtaurandas vires jam collapſas, precibus, blandimentis, objurgatione hortarentur atque urgerent, omnia reſpueret, quod cauſaretur mortuum eſſe ſe, ac nihil ita conſtituto opus eſſe alimento. Quum au-

tem.

tem fame enecandus videretur, inſtante ſcilicet ſeptimo diè, qui famelicis atque ediâ confectis lethalis eſſe ſolet, comminiſci cœperunt atque excogitare rationem aliquam, quâ poſſet hic mentis error eximi aut mederi; itaque inducti ſunt in conclave, arte atque induſtriâ obſcuratum, perſonati quidam hiſtriones linteo obvelati, ac faſciis obvincti, quibus mortui ſepulchris inferri ſolent, inſtructâque menſâ ferculorum apparatu, liberalius largiusque ſe cibo ac potu reficiunt, æger autem hæc conſpicatus, ſciſcitatur quid moliantur, & quod ſint genus hominum, reſponſum eſt, mortuos eſſe ſe: tum is, mortuine edunt? illi, maximè, ſi libeat accumbere, id non vanum experietur, confeſtim mente captus exiliit, lectoque ſe ſubduxit, atque unà cum mortuis commentitiis cibo fruitur affluentius: peractâ autem cœnâ ſomnus illi obrepit, in eum uſum confecto liquamine. Siquidem qui ſenſu mentisque judicio ac ratione ſunt orbati, arte tractandi ſunt, nec ullâ re efficacius, quam ſomno domandi. ſic â Sibyllâ Virgilianâ domitus legitur

Cerberus ille fame rabidâ tria guttura pandens,
Melle ſoporatâ, & medicatis frugibus offâ
L. Lemn. de complex. l. 2. c. 6. pag. 141. 142.

In

Infebre ardente Burgundus quidam ad ædem S. Juliani multis clariſſimis medicis aſtantibus, *mortuum ſe affirmabat*, ſimul cum fratre ibi decumbente. Jam phantaſiâ mutatâ declamabat, precabaturque medicos, ne amplius animæ impedimento eſſent, quo minus è purgatorio evolaret ad Deum. Aliquando imitabatur moribundum, quaſi efflaret animam: monebat, ut ſpectarent expiratum: poſtea ſumo timore & omnium deſperatione corripiebatur. Tandem oportunis remed iis adhibitis & hæmorrhoidū profluvio liberatus eſt. Holler. l. c. & ex hoc Foreſt. l. c.

Scimus melancholicos paſſim variis & ſæpè mirandis opinionibus exerceri. Sic D. Gisbertus quendam, qui *ſe mortuum putabat*, cui etiam omnes ceremonias, quæ adhiberi ſolent conclamatis, adhibitæ eſſent; cum ſe ſepultum diceret; tandem impoſitum in tumulum cum terram injicerent, clamavit altâ voce, ſe non eſſe mortuum, atq; ita priſtinæ valetudini reſtitutus, cæteris convixit. Echtius apud Solenandr. conſ. med. ſect. 5. c. 15. n. 18.

Vidi, præter cæteros, Presbyterum, & moribus laudabilem, & non aſpernandæ doctrinæ, qui ex hypochondriorum vitio delirabat, *putans ſe animam agere, & modico interjecto tempore expiraturum*. Ob hunc mentis errorem

rorem hic interdum in terra ſtragulo ſubſtrato, tanquam mortuus jacebat,facibus circum ſe accenſis; comedebat tamen, diſcurrebat, negotia ſua gerebat, ad cætera omnia benè ſe habebat. P. Zacchias quæſt. medicoleg. l. 2. tit. 1. q. 9. §. 17.

Alii *mortem ſummoperè exoptant, & ipſam tamen formidant.* Jan. Damaſc. l. 3. c. 22. Val. de Tar. Philon. l. 1. c. 13. Quidam eorum ſunt, *qui diligunt mortem, & quidam qui eam abhorrent.* Avic. l. 3. fen. 1. tr. 4. c. 19.

Quidam à Nicolao Leoniceno Medico *perſuaderi non potuit, impoſſibile eſſe, ut quis absq; anima vagaretur*, quod tamen ille ſibi imaginabatur. J. Maſcard. de probat. volum. 2. concl. 827. num. 37. ex Gyraldo T. 1. hiſtor. poët. dialog. 3.

Quidam *animam ſe affirmabat, ob idq; omnem cibum reformidabat, quod animas edere negaret.* Tandem à fideli medico parata menſa, mediâ nocte à nudis farinâque oblitis hominibus cubili illata; ſummo ſilentio accubuere; rogat ille quid agerent: obmurmurans quidam reſpondit, eſitare. Mox ille, quæ gens? animæ. At animæ edones non ſunt. Reſpondet alter, Noſtro, & non humano more edimus. Hic exiliens lecto, Et ego anima, inquit, fruar una veſtris epulis: aſſedit

com-

comedit, à morbo evaſit. J. Heurn. meth. ad praxin.l.3.c.28.pag.482.b.

Quidem *ſe caput plumbeum habere* dicebat, pileo plumbeo ei admoto, & tandem ad curam remoto, reſipuit. P. Borell. cent. 3. obſ. 69.

Quidam *ſe capite carere aſſerebat*, quod ob tyrannidem ſibi amputatum imaginabatur, caſumque deplorabat. Hunc ſubtilis & arguta Philotimi Medici inventio priſtinæ reſtituit ſanitati. Nam plumbeo pileo, ſupra reliquam curationem, capiti repente impoſito, & gravitatem ſenſit, caput ſe recepiſſe exclamavit, gaviſusque plurimum vanâ imaginatione liberatus eſt. Aët. tetr. 2. ſ. 2. c. 9. & ex hoc Platenſ. pract. de ægr. cap. 1. S. Heurn. meth. ad praxin. l. 3. c. 28. pag. 482. b. Foreſt. l. 10. ſchol. obſ. 12. A. Laurent. diſc. de melanch. p. 71. Th. Bartolinus cent. 1. hiſt. 79.

Eodem ferè modo Æmilius medicus, qui Alemariæ ante me medicinam faciebat, curavit Gerardum quendam Patrem monachorum, qui malè imaginabatur, *ſe caput non habere*. Foreſt. l. c.

Quidam melancholicus in paroxyſmo hypochondriaco *cantabat*, *ſaltabat*, *ridebat*, & multa ridicula peragebat. Poſt horam, in angulo ſedens, *loqui nolebat*; paulo poſt *ſe*

eſſe

eſſe abſq; capite dicebat. Viſitatus aliquando à medico, eum enixè rogabat, ut caput illi pararet. Medicus ex pulvinari caput quoddam faciebat, & ſimulabat, quaſi filo id trunco aſſueret. Tum ad ſpeculum deducto monſtrabat verum caput, qui lætabatur ſe caput recepiſſe. Aliis poſtea adhibitis remediis ad ſanam mentem rediit. J. Agricola comm. in Poppii Chym. part. 2. pag. 652. 653.

Arthemidorus Grammaticus viſo crocodilo tanto terrore perculſus fuit, ut omnium, quæcunque ſciverat, obliviſceretur, adeoque firmiter ſibi perſuadebat, *brachio uno ac crure privatum ſe eſſe*, ut hanc ei conceptam phantaſiam nemo adimere potuerit. A. Laurent. l. c. pag. 72.

A furore (in quo *ſibi ipſi aſperam arteriam præſciderat*) quidam in eam læſæ imaginationis labem inciderat, ut crederet, *crura ſua deſtitui ſuris*: ſiquidem iis innixus, conaretur per conclave ambulare. Quippe carere ſe illo adminiculo, (ſuras intelligebat) quod hominem detineret in æquilibrio. Quam falſam imaginationem induſtrio ſtrategemate quo eriperem, juſſi ſuras percuti inopinato ictu, quarum dolorem evidenter ubi percepit, vidit luce clarius, ſe illis minimè carere, quin potius convaluit ab eo tempore: neque

neque remanſit ipſi deinceps ex periculoſo hæc aſperæ arteriæ vulnere quicquam vitii, præterquam quod in concentu muſico cogeretur ſubmiſſius paulo canere, quam ante plagam inflictam. N. Tulp. obſ.l.1.c.50.

Inſignis pictor imaginabatur ſibi falsò, *cuncta corporis oſſa adeò mollia ac flexibilia ſibi eſſe, ut inſtar ſequacis ceræ facillimè in ſe complicarentur*, ſi vel minimum illis inniteretur: quâ opinione menti penitius impreſsâ, continuit ſe integram hiemē in lecto, veritus inde, ſi ſurgeret, aliquid ſiniſtri. Quo metu intellecto, nolui ipſi (juxta Celſum l. 3. c. 14.) adverſari, neque palàm ſed clam ſurreptum iri, quam conceperat imaginationem: Aſſereus mollitiem hanc non latere medicos; ipſius autem oſſibus intra triduum reſtitutum iri priſtinum ſtabilimentum, & ante diem ſextum potentiam quocunque ambulandi, dummodo fuerit dicto audiens. Quæ promiſſa dici vix poteſt, quantam excitaverint ſpem recuperandæ ſanitatis. Atrâ igitur bile convenienter ex corpore depulsâ, exſolvimus & nos facilè fidem noſtram, jubentes ipſum ſurgere ex cubili, verum eâ lege, ut duntaxat inſiſteret pedibus; neque procederet vel latum unguem. Secus ſi faceret, penes ſe culpam futuram. Sextâ vero die, me veniam ipſi daturum quocunque deambu-

 landi,

landi, modò ritè obtemperaret arti. Quæ certè monita eò fuêre rigidiora, quò minus expediit ipſi dolum hunc reſciſcere. Qui quò magis lateret, continuavimus tectè in medicamentis catharticis. Sed appropinquante jam ſecundo triduo, oſtendimus coràm promiſſi veritatem; factâ non tantùm venia ambulandi per conclave, ſed etiam in publicùm prodeundi, & obeundi jugiter qualiacunque ſani hominis munia. Quâ libertate tantopere gaviſus fuit, ut ignoraverit quibus encomiis extolleret ſanitatis ſuæ præſidem. N. Tulp. obſ. med. l. 1. c. 18.

Excell. Dn. D. Joh. Prævotius, præceptor meus Patavii, vidit religioſum, qui ex maniâ in melancholiam inciderat. *Is juſſus ambulare, indeſinenter ambulabat; juſſus ſedere, continuò ſedebat: juſſus os apertum tenere, tenebat ſemper apertum.*

Habui Venetiis cauſſarum actorem, qui fingebat *ſe eſſe Antichriſtum, quia neq; frigus, neq; famem, ſitim nec alia pateretur,* vixit per triduum flexis genibus nudus: Ego finxi angelum, qui quaſi cibum de cœlo afferret, illum aluit, & reſpuebat etiam meum auxiliũ, ſe ſeque Medico non egere ajebat. Aliquando itaque illos decipere oportet variis modis.

Habui alium, qui noluit uti meis auxiliis, donec fingerem, me maximum ſentire fœtorem,

rem : quando propius ad illum accederem.
Cum autem ille maximè amaret mulieres, petiit ut *à fœtore illo ipſum liberarem*, quo mulieres accedere poſſet, & ita eum decepi.

Fuit & alius, qui *ita ſeſe craſſum eſſe putabat, ut conclavi exire non poſſet:* Medicus cum ei perſuadere non poterat, ut exiret, tandem per bajullos illum verberibus tranſtantes depellere conatus, ſed non modo nihil effecit, ſed patientem etiam interfecit. H. Saxon. pract. l. 1. c. 16.

Dicunt *ſe nihil dormire* per menſem. Valeſc. de Tar. Philon. l. 1. c. 13. Mater mea melancholica juramento affirmabat, *ſe ſeptem menſibus nihil dormiviſſe.* Alia nobiliſſima mulier, *per duos annos ſe nihil dormiviſſe* affirmabat, ſed tamen decipiuntur. H. Saxon. l. c.

Vidua juvencula Venetiis, valdè obeſa, ex melancholiâ pituitosâ *ferè ſemper dormiebat, id tamen negabat, comedebat multum, & tamen injungebat ancillis, ſe nihil comediſſe.* H. Saxon. l. c.

Montuus (pro lectione M. Novembr. Anno 1629. ita proferebat præceptor meus venerandus D.D. Prævotius) refert de quâdam matronâ, quæ *per 30. annos & ultra, non dormivit*, ſed perpetuis vigiliis laboravit.

Hoc non veriſimile videbatur Dn. Prævotio: putabatque & Montuum & matronam

fuiſſe melancholicam. Montuum quidem, quòd hæc tàm facilè crediderit; matronam, quod ſibi imaginata ſit, ſe non dormiviſſe: dicebat enim ſe jam ſub curâ habere melancholicum, qui maximè *iraſcitur, dum adſtantes dicunt, eum dormiviſſe*, cum ipſe ſemper dicat, ſe non dormiviſſe, etiamſi cum ſtertore dormierit.

Alius quidam eodem morbo melancholico laborans, dixit *ſe habere ranas in ventriculo*. Ab hac ſententiâ cum nemo eum abducere poſſet, venit ad eum medicus, petens ut urinam redderet: quâ visâ, medicus promittit ſe liberaturum eum, ſi modò ipſi morem gerere vellet. Juſſit itaque medicus ſibi adferri ranas vivas, quas vaſculo impoſuit, quod collocavit poſtea ſub ſellam, in quâ neceſſitatem naturæ reddebat: ſimulque potionem, aliquo modo ventriculum curantem, dabat. Quâ ſumptâ & naturæ opere peracto, quærit Doctor. Vidiſtine aliquas materias ex viſceribus tuis elapſas? reſpondit: non. Ibi medicus in medium protulit ollam, ex quâ ranæ proſilierunt. Ad hæc ægrotus adjecit: Hactenus non potui ipſis perſuadere, me ranis vexatum fuiſſe: jam reipsâ experiuntur, rem ſic ſe habuiſſe, & ita æger ſanatus eſt. J. Manlius libello med. pag. 745.

Mu-

Mulier *ranas ſe ventre geſtare* perſuaſa, purgatione poſtquam effuſa ejus alvus fuiſſet, clam ranæ excrementis illatæ, morbum excuſſere. Heurn. meth. ad praxin. l. 3. c. 28. pag. 482. b.

Alius quidam hypochondriacus, hoc eſt, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgida eſſent, perſuaſus erat *ranas ac rubetas, quas bufones vocant, inteſtina perterebrare*, nec ullâ ratione ea opinio illi eximi potuit. Medicus quò illum magis haberet obſequentem, (nam melancholici ægrè ab opinione dimoventur) tale quiddam corpori inhærere pronunciavit, itaque exhibitâ purgante potione, ac ſubdito cliſtere procuratum eſt, ut aliquot ejus generis reptilia in ſubjectam pelvim conjicerentur: ubi autem pharmacum vires ſuas explicuit, alvus affatim exinanitus eſt, conſpectisque excrementis, & quæ illis innatabant animalculis, vana illa opinio animo excuſſa eſt. L. Lemnius de complex. l. 2. c. 6. pag. 141.

Studioſus quidem in profluente lavans, cum eâ *ſe fœturam ranarum ſimul hauſiſſe* exiſtimabat. Quo admodum perterritus, *ſibi vivam ranam in ventriculo vel inteſtinis hærere*, illicque ex cibo & potu aſſumpto vivere, adeò certò perſuadebat, ut nemo illi, etiam Doctore Medicô factô, hanc opinionem ex

animo delere multis annis poſtea potuerit. Tandem poſt ſeptennium argumentis à T. Platero victus, cum illi, utpote Medico fucus fieri non potuerit, quia diligenter omnia obſervabat, dementiam ſuam faſſus eſt, gratias egit, & à phantaſiâ illâ liberatus eſt. Plater. obſ. l. 1. pag. 50. & ſeqq. Prax. T. 1. l. 1. c. 3. pag. m. 84.

Mulierem quidam curavit melancholiâ laborantem hoc pacto: cum putaret illa *ſerpentem devoraſſe*, vomitum medicamento citavit, atque in id, quod rejectum fuit, parvam beſtiam per omnia imaginationi illius, & deſcriptæ à vanâ imaginatione feræ ſimilem impoſuit. Quare hujus quoq; affectum, quia ob triſtitiam ejus quod putarat, evenit, gaudium nimirum ſubitò accedens diſſolvit. A. Trall. l. 1. c. 16. & ex hoc Foreſt. l. 10. ſchol. obſ. 12. A. Laurent. l. c. pag. 71.

Memini quidem, inquit Foreſt. l. c. cum Romæ agerem, Gisbertum Horſtium, Hiſpanum quendam in Noſocomio Mariæ conſolationis decumbentem, eodem modo curaſſe, injecto clyſteri ac in vaſe viperâ impoſitâ, *qui putabat, ſe viperam in ventre habere*. Vid. T. Plater. Prax. T. 1. l. 1. cap. 3. pag. m. 84. & 132. Amat. Luſit. cent. 6. cur. 42. Rod. à Caſtro Medico polit. l. 3. c. 13.

Ranas

Ranas tamen, ſerpentes, aliaque animalcula, mali ſpiritus operâ & prodigioſo dæmonis effectu, â ſagis in corpus immiſſa, & poſtea vel per vomitum vel per alvum excreta fuiſſe conſtat.

Puella anguillam vivam & perfectam per poſticum ejicientis hiſtoriam, ex C. Gemma refert. M. Delrio diſquis. magic. l.3. part. 1. q. 4. ſect. 5. pag. 407.

Servo ego etiamnum, ſpiritui vini immerſum murem domeſticum, quem mulier Suinfurtenſis, cujus mentionem feci in procœmio ſchediaſmatis de Hæmatite pag. 49. & 50. non ſine maximo conatu & dolore cum fecibus alvinis excrevit, Anno 1662. 25. Maji.

Uxor Salomonis Galeni credebet *in vulvâ ſuâ contineri molam vivam, interimendam â medico*. Monita itaque fuit, haberet exactam excretorum rationem: & ſi quæ conſpiceret atra, vel nigræ fuligini ſimillima, crederet firmiter, jam tum expelli molam ſibi ingratiſſimam. Quibus verbis fidem habens, admiſit haud gravatè, modò veratrum nigrum, modò confectionem Hamech, aliavè expellendæ ejuſcemodi inſaniæ apta. Quorum ope, atrâ bile excretâ, non dubitavit amplius de molæ ſuæ internecione, certa (uti credebat) ex ejus occiſæ colliquatione ſequi nigram illam dejectionem.

A quo ſymptomate licet id temporis feliciter evaſerit, incidit tamen haud diu poſt, in ſimillimam inſaniam, ſed priore multò graviorem, *credens firmiter, ſe fato functam, eâ conditione à Deo in mundum remiſſam, ut viveret deinceps excors.* Corde enim ſuo à Deo retento, doluit impensè, aliam ſibi eſſe, quam aliorum mortalium vitam: quam tamen imaginationem nulla cum auferrent ſtratagemata, afflixit quidem ipſam aliquandiu hæc triſtitia, ſed tandem quoque, licet tardius, diſceſſit juxta illud Lipſii: Illos ab atrâ bile, curat dies & quies. N. Tulp. obſ. l. 1. c. 19.

Ancilla apud nos Suinfurti vetula, & quidem adhuc, ut putatur, virgo, Eva, jam à multis annis *ſibi imaginatur, ſe in alvo habere duos puerulos, majorem, qui in ſiniſtro, & minorem, qui in dextro hoſpitetur latere,* (mein kleiner / dicere ſolet) quem præ majore unicè obſervet, qui etiam quandoque per ipſius oculos, quid rerum agatur, circumſpiciat, & ipſi uſum ciborum acidorum prohibuerit; cum etiam ipſe ſolo pane ſimilagineo veſci velit. Interim ſervitia famularum ſtrenuè obit.

Jacobus homo Gallus poſt morbum Gallicum in melancholiam incidit. Nam *abſceſſum ſivè apoſtema ad latus dextrum habere ſe continuò querebatur*, medicumque qui illum

cura-

curaret & aperiret, magnâ promiſsâ mercede, accerſebat. Præſcripſit Medicus illi aſſentiens, quædam interna & externa medicamenta, & abſceſſum ſuppuratum candente ferramento aperiendum eſſe indigitat. Aſſentiente igitur ægroto, chirurgus candente ferramento locum dextrum ſuperficietenus excuſſit, ac vice puris fluentis ex ſcutulâ liquorem ex lacte & gallinæ ſanguine compoſitum ſuper reſperſit, quem ægro poſtea quaſi ex abſceſſu fluxum, indicarunt aſſidentes, unde ille ſaniem admiratus, ſe ſanum clamavit. Simulabat autem chirurgus indies bis & ter eum curare abſceſſu magnam puris & ſaniei quantitatem demere, ex cujus fluxu ægrotus ipſe mirum in modum lætabatur, ut qui tantæ ſaniei extractione ſe ſanum brevi evaſurum credebat, id quod ita evenit. Am. Luſit. cent. 6. cur. 42. Paulò aliter recenſet Rod. à Caſtro Med. pol. l. 3. c. 13.

Luſitanus tribunus militum imaginationis vitio *polypo ſe laborare* credebat, & medico neganti ipſum laborare polypo, graviſſimè ſuccenſebat. Medicus verò imaginationem læſam intelligens, purgatâ per pulverem benedictum melancholiâ; additis naſo inſtrumentis, qua extimam oſſis ethmoidis cartilaginem leviter libarent cum ſenſu patientis & exiguo ſanguinis fluxu, facilè ſe à polypo

ſanatum ſibi perſuaderi paſſus eſt, cum fila ſerica naribus immiſſa per palatum exirent; & admotas accenſas candelas, narium copioſo flatu facilè extingueret. Henr. ab Heer obſ. rar. 27.

Quidam Genuenſis ſibi imaginabatur, *ſe calculo veſicæ laborare*. H. ad Heer l.c.

Quædam *aciculam in gutture habere exiſtimabat*, vomitu præſcripto, & aciculâ contortâ in ejus pelvem clanculum injectâ, curata fuit. P. Borell. cent. 3. obſ. 69.

Monachus *quidam è lecto ſurgere nolebat, veritus, ne, ſi ſurgeret, ventriculus in ſcrotum deſcendat*. H. ab. Heer l. c.

Alius ibidem (Ambſtelodami) primæ dignitatis ſenior, *clavum ſuſpicabatur ſe deglutiviſſe*, quum amiſſum nusquam reperiret, valdeque eo infixo ſe torqueri. At mentem ſanam rediit vomitorio exhibito, cui eructato clam Medicus clavum immiſit. Th. Bartolin. cent. 1. hiſt. anat. 79.

Alius, qui *ſe cornua geſtare putabat*, capiti cervinis cornibus alligatis, ſerrâq; reſectis & oſtenſis inſaniâ liberatus eſt. Sennert. Inſtit. med. l. 2. p. 3. ſect. 1. c. 7.

Ut & ille, qui *ſe in capite paſſeres habere dicebat*, Medico per nares eos ſe extrahere ſimulante, & ægrotanti, quem in manicâ abſcon-

ſcenderat, paſſerculum monſtrante; ſanatus fuit. Sennert.l.c.

Cuidam perſuaſum erat, *naſum ſibi excreviſſe in immenſum, atq; in prodigioſam longitudinem exporrectum*, ſic ut elephantis proboſcidem circumferre viſus ſit, qui nusquam non eſſet impedimento, adeò ut nullæ portæ illi perviæ eſſent, & naſus ſubinde patinis, ut illi creditum eſt, innataret: accitus medicus atque affectum melancholicum ſubeſſe ſuſpicatus, dexteritate quadam ac latenti habilitate longum farcimen (longanonem bovis ſanguine plenum) naribus admovit, arreptaque novaculâ ſeu cultro tonſorio apprehenſâ nonnullâ carnis parte imaginarium naſum avulſit, confeſtim exhibitâ homini parum ſobriæ mentis ſoporiferâ potione, præſcriptâq; ſalubri diætâ, omnis mali metus ademptus eſt. L. Lemn. de complex. l.2.c.6.pag.141.A. Laurent.l c.pag.72.I.R.Camerar. ſyllog.memorab.cent.4.partic.1.ex Lemnio&Heurnio.

Quidam *naſum inſtar bubuli pedis exſtare plorabat*, quum nihil ſupra juſtum modum excreviſſet: at inteſtino alicujus animalis appenſo, quod medicus paulatim abſcindebat, hominem ab illâ phantaſiâ liberavit. Foreſt. l.10.ſchol.obſ 13.

Plebeius apud nos vir ſanguine melancholico turgens, *naſum ſibi in eam magni-*

magnitudinem excreviſſe imaginabatur , *ut publico abſtineret* , *ne naſus à prætereuntibus conculcaretur*. Th. Bartolin. cent. 1. obſ. anat. 79.

Senenſis quidam Nobilis *nullo modo perſuaderi poterat*, *ut urinam redderet*. *Ajebat n. ſi mingeret*, *totam urbem diluvio perituram*. Quem ad lotium excernendum eleganti commento Medici perduxerunt. Nam injecto in vicinam domum igne, & pulſantibus campanis ad inſanientem accurrunt, magno incendio urbem conflagrare nunciantes, obnixeque rogantes, ut reddità urinâ, civitati, & incendium periclitanti, opem ferret. Hoc commento perſuaſus, reddidit urinam, & ſic integram corporis valetudinem recuperavit. Marcell. Donat. hiſt. med. mir. l. 2. c. 1. & ex hoc Sennert. Inſtit. med. l. 2. part. 3. ſect. 1. c. 7. A. Laurent. l. c. pag. 75. 76. J. R. Camerar. ſyll. memor. cent. 4. partic. 2.

In Angliâ *quidam mejere noluit*, *ne ſanguinem univerſum corporis per urinam excerneret*, hinc filo penem arctè per dies aliquot conſtrinxit, quo tumido parum à morte abfuiſſet, niſi à fratre vi vinculum fuiſſet ſolutum. Vidit iſtum & familiarem novit Samuel Collinus, Anglus, Med. D. amicus Monſpelii intimus Th. Bartolon. cent. 1. hiſt. anat. 79.

Fuit

Fuit alter *timens ne Atlas, qui mundum ſuſtinere dicitur, gravatus ſub tanto onere, ipſum à ſe excuteret, atq; cum ipſo collideretur*, ac nos quoq; cum ipſo periremus. Galen.3.loc.aff.6. & ex hoc A. Laurent. l. c. pag. 71. Quibuſdam videtur, *quod angelus, qui movet cœlum, fatigetur, & fugiunt, ne ſuper eos cadat cœlum.* J. de Conçor. Lucid. tr.1.c.23. Ego mulierem vidi, quæ eâ imaginatione vexabatur, ut *medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem.* Plorabat illa quoque, verita ne quando digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret, & omnia ſtatim interirent. A. Trall.l.1.c.16.

Quidam *putant ſuſtinere mundum*, & ipſum fatigant velle dimittere. Alii tenent pugnum clauſum, ita ut non poteſt aperiri: credunt enim *ſe tenere theſaurum in manu, vel totum mundum.* Platear. Pract. de ægr.ap.c.5.

Inſignis vir & poëta Regni Franciæ eximius, cum incendiis febris continuæ æſtuaret, Medici præſcripſerunt unguentum aliquod narcoticum, quod populneum dicunt, hoc unguentum naribus, fronti & temporibus affricabant. Ab eo tempore tanto odio proſequitur populneum, ut *quicunq; ad ſe accedit, unguentum hoc olere cenſeat; neminem niſi à longè ſibi loquentem admittit, ſi quis veſtes attigerit, mox eas abjicit, neque ut amplius*

eas

tas geſtet, induci poteſt, nihilominus de omnibus benè diſcurrit, neque deſiſtit Gallicâ poëſi nominis ſui famam commendare immortalitati. Tentatum hactenus modis omnibus tam ſtultam ei perſuaſionem eximere, exhibita fuit unguenti deſcriptio, ut oſtenderetur, nihil in eâ periculoſi contineri, ſcit ita eſſe, aſſentitur hoc declarantibus; tamen usque adeo pertinaciter objectum hoc ipſi impreſſum eſt, ut nemo oblitterare quibuscunque rationibus poſſit. A. Laurent. l. c. pag. 74. 75.

Quidam *dicebat ſe Deum & ſanctum*. J. Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 827. num. 30.

In Galliâ quidam 21. 31. Aug. 1662. Pariſiis combuſtus fuit, qui *ſe Deum eſſe diceret*. Similiter ibidem quidam Normandus, nomine Morin, 3. Jan. 1663. combuſtus fuit, qui *pro altero Dei filio ſe venditabat*. Zacchar. Chriſtmonat in continuatione decennali hiſtoricâ Lipſienſi 12. pag. 32. & contin. 13. pag. 78. 79.

Erffurti *quidam ſe Dei filium vocabat, & poſt mortem tertia die ſe reſurrecturum* dicebat. Hunc ante gradus templi S. Petri ibidem igne combuſſerunt. Chron. Erffurtenſ. Mſcr. ad annum 1350.

Hos inſignes melancholicos fuiſſe puto, cum nemo ſanâ mente præditus talia de ſe prædi-

prædicabit. Ideòque meâ opinione, alia quam hæc per ignem cura, adhibenda erat.

Quidam præceptor *ſe ſpiritum ſanctum eſſe affirmabat*, imò & illud ſacris paginis comprobare conabatur. P. Borell cent. 1. obſ. 37.

Communia ſunt eorum deliria, qui *ſe Reges, Imperatores, Monarchas, Pontifices, Cardinales* factos aſſeverant. A. Laurent. l.c.pag. 77. Exempla ſunt apud Quercetanum Diætet. ſect. 1. c. 9. pag.m. 53. ex Mureto: Sennertum Pract. l. 1. part. 2. c. 5. ex Huarti Scrutin. ingenior. c. 7. Valeſco de Taranta, Philon. l. 1. c. 13. N. Tulpium obſ. l. 1. c. 9.

Quidam putant *ſe eſſe Epiſcopos*, & volunt conferre præbendas. J. de Concoreg. Lucid. tr. 1. c. 23. Canemas quidam nomine Catheamus furens gladio Ferdinandum Caſtulonenſem, Siciliæ & Aragoniæ Regem, qui Barchinonem venerat veluti in ſpecie triumphi, confodere conatus, collum ingenti vulnere petiit, neque ejus facti per omne tormentorum genus alia elici cauſa potuit, niſi quod interempto Ferdinando *Regem ſe futurum ſperabat, id quod ſibi ſæpius ab angelo nunciatum dicebat*. Maſcard. l. c. num. 36. ex Fulgos. l. 6 c. 11.

Lyſander poëta eò venit inſaniæ, ut ſibi *continuè timeret, ne ſua ipſius umbra, à qua deſtitutus eſſet occurreret*. Maſcard. l. c. num. 37.

De-

Demophon Alexandri Magni œconomus, *ſe ad æſtum ſolis infrigidari, & in opacis memorum umbris æſtuare credebat*. Ardon Argivus *ferventiſſimam Lybiæ eremum ad frigus captandum decurrebat*. Querc. l. c. pag. m. 54.

Quidam in vanam incidit imaginationem, ut *ſe frigere perpetuò arbitraretur*, ſicque ardente Sirio ad ignem continuo accedens, calefieri non poſſe prædicabat, niſi toto corpore ureretur; quumque clàm furtimque ter in ignem ſe projiceret; tandem vinctus catenis, ſedens ſemper juxta ignem, hâc miſerabili imaginatione detentus, diem noctemque inſomnis ducebat. Pro cujus curatione (quum irrita eſſent amicorum & medicorum conſilia) hoc ſum machinatus auxilium. Eum à capite uſque ad pedes ſummos pelle lanigerâ cooperio, quæ aquâ vitæ prius bene maduerat, eumque ſic veſtitum, totum comburo. Accensâ flammâ, ipſe per dimidiæ horæ ſpatium conflagrans & exardeſcens, ſaltu, tripudiis lætabatur, ut illico ſe ſanum & nimis calidum eſſe exclamaret, ſicq, depoſitâ hac imaginatione intra paucos dies ſanus evaſit. Zacut. Luſit. med. princip. hiſt. l. 1. parap. hiſtoriæ 37.

Alii credunt ſe tantum peccaſſe, quod Deus non poteſt eis parcere. Valeſc. de Taren Phil. 1. c. 13.

Nob

Nobilis quidam Luſitanus, juvenis gracilis, hirſutus, niger, cogitabundus & triſtis, ſponte nulloque præcedente affectu, in eam incidit melancholicam imaginationem, ut *peccata ſua nunquam à Deo eſſe remittenda* continuò exclamaret, cumque in hoc agone mœſtus & macilentus octo menſium ſpatio perſeveraret, nullumque ex mulierocularum auxiliis, quæ ipſum ligatum, & peſſimarum fæminarum præſtigiis incantamentiſque irretitum, prædicabant, acciperet juvamentum, medicos convocat, eoſque obnixè precatur, ut tantis malis excogitarent auxilia, quorum beneficio peccata à Deo ſolvenda fore ſperabat; in hoc enim ſalutis ſuæ cardinem eſſe ſitum altâ voce adſtantibus, diu noctuque inculcat. Sin minus, cum dæmone, quem quotidiè alloquebatur, vitam æternam in mediis inferni pænis tranſacturum ſe affirmat. Conſulti medici, de hujus morbi causâ auxiliiſque diſputantes, in eam unanimes convenerunt ſententiam, ut ſæpius melanagogis, purgato corpore, hirudinibus ano appoſitis balnea (affixis prius in cruribus fontanellis) adhiberent, & alia experirentur auxilia, quæ ad inſomnium, maciem, triſtitiam, factitari ſolent; nec contempſere confabulationes, ſalubria amicorum conſilia, ludos & alia, quæ animum ejus, variis ima-

C gina-

ginationibus diſtractum, poſſent demulcere. At nos, viſis his, prudenter, in caſſum tamen celebratis, alio artificioſo præſidio uſi ſumus. Nec irritum fuit conſilium. Nam cubiculo rectè clavibus occluſo, intempeſtâ nocte, in tecto, detractis prius tegulis, angelus artificialis apparuit, dexterâ gladium, læva accenſam facem oſtentans, qui ſic eum iter ſuo nomine vocat (retrò enim homo erat exili voce ſermonem pronuncians) quo audito, illicò ille è lectulo ſurgit, angelum facie decorum, aſpectu pulchrum, ſimplici albâ veſte ornatum circumſpiciens, humi proſtratus adorat, illius ſermoni vehementer intentus; qui ſcelera & peccata omnia, quæque in vitâ ſuâ perpetraverat, omnipotentis miſericordia eſſe remiſſa illi denunciat. Et ſic extinctâ face nil amplius locutus receſſit. Ille lætabundus oſtium tumultuosè ferit, adſunt affines, hiſtoriam narrat, antelucano tempore vocantur medici, quos hilari excipit vultu, gratulantur illi, juſtum eum appellantes, edere incipit, dormit, & ſani hominis munia exequutus nullum amplius malum præſenſit. Melancholici ergò, ſi arte curari non poſſunt, induſtriâ & fallaciis opus eſt: quibus ſanari experientia confirmat. Zacut. Luſit. II. cc.

Joh.

Joh. Bapt. Montanus conſil. 23. ſcribit, ſe vidiſſe quendam, qui *totam mundi ſuperficiem imaginabatur ex ſubtiliſſimo vitro, & ſubditos eſſe ſerpentes*; ſe in lecto, tanquam in inſulâ, unde ſi egrederetur, frangeret vitrum, & incideret in ſerpentes, atque ideò nolebat lecto egredi. Sennert. Inſtit. l. 2. p. 3. ſ. 1. c. 7.

Muliercula quædam *ſe Regi deſponſatam eſſe* perſuaſum habuit, quæ ſi fortè in fragmenta vitrorum, aut alia lucida corpuſcula incidebat, gemmas ſibi à conjuge Rege transmiſſas dicebat, eaque tanquam rem cariſſimam, in arcâ, quam totam ferè oppleverat, aſſervabat. Marc. Donat. hiſt. med. mirab. l. 2. c. 1. & ex hoc Sennert. Pract. l. 1. part. 2. c. 8.

Ejuſdem generis fuit deliramentum cujusdam ſenioris divitis, qui, referente Seneca, *quæcunq; quibus uti opus erat, quàm maxima expetebat, mulieres parvas & homines parvos abominabatur, prægrandes equos peroptabat, ampliſſimis poculis utebatur, & calceamenta pedibus majora geſtabat, latiſſimis veſtibus veſtiebatur*. Sennert. l. c.

Quædam *quod indies veſtes induere, rurſumq; exuere cogeretur*, mirè angebatur. F. Plater. pract. T. 1. l. 1. c. pag. 84.

Quidam *timent omnia nigra*: & cum audiunt loqui de diabolo, vehemens & magna paſſio eos arripit, nec audent ſoli ſtare in ca-

merâ, nec ad loca tenebroſa aliquo modo ire, timentes diabolum ibi eſſe, & *timentes de omni homine de nigris induto, ne ſit diabolus.* J. de Concoreg. Lucid. tr. 1. c. 23.

Alia mulier, quæ *quoties maritum ſe mortuâ aliam uxorem ducturum cogitabat*, in melancholica ferebatur accidentia. F. Plater. l. c.

Quandam *ex longa viri peregrinatione melancholiâ correptam, & iracundè omnibus reſpondentem* vidi, ſed & ipſa curata fuit hoc modo. Nam maritus illius peregrè reverſus, nulli prædicens, neque aliquandiu differens, ſed ſubitò ingreſſus ſeipſum illi oſtendit. Præter ſpem igitur mulier ipſum conſpiciens, atque ita amplexa, multoque gaudio affecta liberata eſt, rurſusque ad naturalem ſtatum rediit, ut nullâ aliâ indigeret curatione. Foreſt. l. 10. Schol. obſ. 12. J. R. Camerar. ſylloge memorab. cent. 8. part. 48. ex Libavio.

Hinc mulieres Zelotypæ frequenter fiunt melancholicæ: & multas tales vidit Valeſc. de Tar. Phil. l. 1. c. 13.

Vidi quendam convaleſcentem à febre, *melancholicum fieri, quia nunciatum fuit & archam ſuam fuiſſe fractam, & pecuniam furto ſubtractam.* Qui cum debitores ſuos & debita animo inceſſanter revolveret, profectus

eſt

eſt ad eos cum amentiâ melancholicâ, & etiam *cum nihil debentibus pro debito eſt objurgatus.* Unde conſilio medicorum, plures amicorum ad eum inducti, deferentes pecuniam quaſi debitores, illam ſibi perſolvere ceperunt, & ſic liberatus eſt. Platear. pract. de ægr. cap. c. 5.

Theophilus medicus, cum prudenter diſputaret, & præſentes exactè cognoſceret, quantum ad ratiocinationem, prave tamen imaginabatur *tibicines quosdam angulum domus occupantes, aſſiduè ſonantes & inſolenter pulſantes,* Galen. de ſympt. diff. c. 4. Vide F. Bartoleti Encyclopæd. pag. 126.

Ruſticus quidam melancholicus ſemper lunâ exiſtente combuſtâ *carmina componebat Latina,* & tranſactâ combuſtione circa duos dies ad aliam lunæ combuſtionem ne verba Latina proferre potuit. Guaines, tr. 15. c. 4.

Quidam Spoletanus *idiomata locutus eſt, quæ nunquam didicerat,* recuperata vero valetudine, & vermibus ope medicamentorum pluribus ejectis, ea loqui amplius non potuit. Eraſm. Roterod. in Encom. medic.

Mulier melancholica *cantiunculas & hymnos cantabat, quos nunquam didicerat.* Foreſt. l. 10. ob. 19.

Hinc Rhaſis refert, quosdam melancholicos *ex illiteratis literatos evaſiſſe*, & *ea prædixiſſe, quæ eventus comprobavit.*

Gentilis affirmat, multas mulieres ac viros, qui nunquam literas cognoverant, *doctos evaſiſſe*: quæſt. de incant. & colli ſuſpens.

Ariſtoteles idem ſentire videtur, cum Marchum quendam melancholicum, *poëtam factum eſſe* narrat, 30. probl. 1. vide Scrutin. ingen. c. 7. pag. 183.

Cum Conciliator mulierem *idiotam & melancholicam, literatam evaſiſſe* ſcribit: comm. in citatum problema.

Quidam *ægrè ferunt, ſe priſtinam ſanitatem recuperaſſe*, cum in delirio tantam inde delectationem habuerint, ac ſi reverà talia fuiſſent. Sennert. Pract. l. c. ex Huarto, Scrutin. ingen. c. 7. pag. 179.

Sunt enim mente capti, qui non feriò deſipiunt, ſed ſuaviter delirant, ut quos ludit amabilis inſania, adeò ut nonnulli *deplorent ſe reſipuiſſe*, ac graviter cum amicis expoſtulent, quod damnum ipſis illatum ſit, non impenſum humanitatis officium. L. Lemn. de compl. l. 2. c. 6. p. 140.

Thraſyllum quendam Eſonenſem refert Ælianus & ex eo Agellius, in eam erroris opinionem incidiſſe, ut *omnes in portum appulſas naves ſuas eſſe putarit: ideoq; advenientes ſum-*

ſummo eum deſiderio expectaſſe, & magno cum gaudio excepiſſe, diſcedentibus etiam magnâ cum ſollicitudine benè precari ſolitum. Hunc mentis errorem poſtquam ei Medicorum eripuit induſtria, ultrò faſſum, nunquam ſe ſuavius vixiſſe, eâque voluptate ſe privatum, moleſtè tuliſſe. C. Ens in præfat. Moroſophiæ.

Hiſtoriam Argivi, quam ex Horatio allegat Lemnius, lubet cum paraphraſi ſcholiaſticâ Eilh. Lubini addere. l. 2. epit. 2. pag. 569. 570.

Fuit Argis vir quidam *haud ignobilis*, ſed multis ſatis cognitus, *qui* ex melancholiâ *in vacuo* ab hominibus *theatro*, tanquam illud multis ſpectatoribus variiſque omnis generis ſpectaculis ſpiſſum & plenum eſſet, quotidiè *ſeſſor & plauſor* erat, ſedebat & plaudebat, & *credebat ſeſe* admirabiles tragædos ſpectare, & *miros tragædos* agentes *audire*, *qui* interea tamen omnia cætera *vitæ* humanæ *munia* & officia *recto* aliorum ſanorum hominum *more*, *ſervabat*, ſatiſque in reliquis prudens erat. *Sane* qui *bonus* eſſet *vicinus*, advenis & extraneis *hoſpes* benignus & *amabilis*, *in uxorem* ſuam *comis* & placidus, *qui ſervis* ſuis *poſſet ignoſcere*, inque domeſticos ſuos minimè ſævire, & non ad inſaniam furenter iraſceretur, cum lagenam à ſe obſignatam

comperiſſet, *læſo ſigno*, à ſervis furtim reſignatam & exhauſtam eſſe, quemadmodũ avari *lagenas obſignare* ſolent, ne furtim evacuentur. Deniq; *qui* non velut alii furioſi, quæ nocitura eſſent, ignorabat, ſed *rupem* aut præcipitia, & *puteum* operculo remoto *patentem evitare* & declinare *poſſet*. In uno illo delirabat, quod quotidiè in vacuum theatrum, ut dixi, prodiret, ibique tanquam tragædiæ agerentur, lætus ſederet, audiret, ſpectaret & plauderet. *Hic*, de quo dico, *ubi amicorum opibus*, impenſis *curis*, & ſtudiis curatus, *refectus* & ſanitati rationis reſtitutus, atram melancholiæ *bilem* redundantem, & inſaniæ furoriſque *morbum meracis ellebori* potionibus *expulit*, & evacuavit, *atq; ad ſeſe*, ad priorem mentis & ſanitatis rationem *rediit*: *Pol inquit*, vos *amici* veſtrâ curâ *me occidiſtis*, me infelicem reddidiſtis, *non* autem *ſervaſtis*, utpote *cui* veſtris potionibus jucundiſſimus ille phantaſiæ furor, & incredibilis illa *voluptas* inde nata, *extorta* & excuſſa ſit; *& mentis* rationiſque meæ *error*, quo jucundiſſima ſpectacula mihi imaginabar, longè *gratiſſimus per* medicamenti *vim* mihi *ademtus* eſt & ablatus.

In ſumma, tam multiplicia, præter enumerata, melancholicorum ſunt deliramenta, ut ea enumerare impoſſibile ſit.

Timent carceres: Foreſt.l.10.obſ. 12.

Supplicia.

Extremum judicium & condemnationem æternam: Foreſt. l. 10. ſch. obſ. 12. & obſ. 13. & 15.

Neſcio quæ ſcelera ſe commiſiſſe imaginantur.

Cælum ruiturum metuunt: Serap. pract. tr. 1. c. 22.

Odio habent homines: P. Ægin.

Amicos & familiares averſantur, & ad eos interficiendos commoventur, quos tamen intimè amant.

Ad maritum confodiendum impelluntur: Plater. obſ. l. 1.

Sunt blaſphemi erga Deum: Plater. l. c. pag. 44. 45.

Ad abnegandum Deum incitantur: Iſ. Cartier. in obſ. P. Borello communicatis, obſ.6.

Suſpicioſi & diffidentes ſunt: Jul. Alexandr. conſ. Scholz.175. Foreſt. l. 10. obſ. 19.

Falſas & varias habent ſuſpiciones: Platear. pract. de ægr. cap. c. 5.

Dæmones ab inimicorum præſtigiis ſibi immiſſos eſſe putant. Aët. tetr. 2. ſ. 2. c. 9.

Venenoſum pharmacum accepiſſe ſuſpicantur, & ſuſpicionem ipſorum confirmant viro-

Quando lubet, ſanus, quando lubet, Optile, es æger:
Venter, ais, ventis; frigoribus, ſtomachus;
Splenq; melancholiâ; plenumque caloribus hepar;
Quæſo, etiam hoc addas; phantaſiisque caput.

Murmurant; loquaces ſunt, & vix volunt tacere. Val. de Tar, Phil. l. 1. c, 13. N. A, Frambeſ. l. c. tit. 2.

Studioſus Suinfurtenſis, cujus paulò ante memini, absque intermiſſione loquitur, cujus loquacitas, cui quandoque immiſcet ſuſpiria & lachrymas, neque objurgationibus, neque bonis verbis inhiberi poteſt.

Lachrymantur: Avic. l. 3. Fen. 1. tr. 4. c. 19. Aët, l. c.

Heraclytus Epheſius totus erat in lachrymis, miſerias & calamitates hominum jugi planctu ſeniculus deplorabat: ſolitudines amabat, impuro ſordidoque victu degebat. Melancholicum fuiſſe, Theophraſtus opinatus eſt, quod obſcura & confuſanea ſcripſiſſet; hydropicus factus interiit. Foreſt. l. 10. ſchol. obſ. 13.

Mulier nobilis apud P. Borellum *perpetuo flendi deſiderio tenebatur*. cent. 2. obſ. 99.

Cantillant; N. A. Frambeſ. l. c. tit. 2.

Ri-

Rident: Valeſc. de Taranta curavit quen dam, qui continuo ridebat, maximè in pleni lunio; in Philon. l. 1. c. 13.

Qualem Democritum quoque fuiſſe autu mant; Vide Hippocratis epiſtolas.

Divina affectant, & colloquia cum Deo & angelis ſomniant: Valeſc. de Tar. Phil. l. 1 c. 13.

Cum dæmone loqui putant:

Dæmones cernere aſſeverant: P. Borell cent. 1. obſ. 51. Valeſc. de Tar. Phil. l. 1. c. 13.

A dæmone ſe obſeſſos credunt: P. Borell. cent. 1. obſ. 37. Digbæus in Theatro ſympath pag. m. 124.

Avari nihil niſi de divitiis cogitant & pecu niis congerendis:

Elati & ſuperbi vel de precioſis veſtibus, au ro & gemmis, cogitant ac loquuntur:

Alii contra animo abjecti, *licet divitiis a bundant, de paupertate conqueruntur:* Foreſt. l. 10. obſ. 15.

Alii, *de ſtudio, quo ſunt delectati, perpetuò cogitant ac loquuntur:*

Sacerdotes ſemper precationes murmurant; templa conſtruunt:

Qui contentionibus forenſibus inſudave runt, nihil niſi arreſta & libellos ſupplicatorios ſcribunt & recenſent.

Alii

Alii poëtico furore perciti, ſemper verſus ſcribere volunt:

Quidam ſemine abundantes, & ad Venerem propenſi, annoſas mulieres depereunt, vel ſemper de amore loquuntur.

Tandem *quidam deſperabundi, vitamq; exoſi, ſibimetipſis manus violentas injiciunt, ſibiq; mortem inferunt:* Galen. 3. loc. aff. 6. Jan. Damaſc. l. 3. c. 22. J. Lang. l. 2. epiſt. 35.

Vel *in fluminibus ſe ſuffocando*, & demergendo: Joh. de Concoreg. Lucidar. tr. 1. c. 23.

Vel *in puteos ſe præcipitando*: Foreſt. l. 10. obſ. 13. quod absque dubio ex melancholiâ etiam fecerunt Petr. Leonius & Laurent. Laurentinus, Medici. Joh. Neander. Medic. natalit. pag. 145. & ſeqq.

Vel *globulo ſclopetario ſe lethaliter vulnerando*: quorum triſtia apud nos exempla nota ſunt.

Vel *laqueo gulam ſibi frangendo*: Galen. 3. loc. aff. quod Jenæ fecit & honeſta & formoſa fæmina Julii Marci JCTi, & Advocati curiæ provincialis Saxonicæ vidua.

Fauces cultro ſibi abſcindendo: Henr. ab Heer obſ. 27.

Proprio gladio vel cultro ſe confodiendo, & lethaliter vulnerando: Sennert. Inſtit. l. 2. part. 2. c. 13. & Pract. l. 2. part. 2. c. 15. & Pract. l. 5. part.

part. 4. c. 3. J. P. Lotich. obſ. med. l. 2. c. 1.
obſ. 2.

Nobilis Hagenoa - Alſatus F. v. G. ob amiſſum proceſſum judiciorum in tantam melancholiam incidit, ut ſe omnium pauperrimum putaret, cum tamen eſſet opulentus, tandemque deſperabundus malleo acuto caput lethaliter pertudit, cultroque aliquot ſibi vulnera in collo & pectore inflixit, è quibus poſt octo ſeptimanas interiit. Relatio hiſtor. vernalis Francof. Anno 1662. pag. 100.

Venenum hauriendo: Midas Phrygia Rex, quibuſdam, ut fertur, ſomniis perturbatus, animique anxius, eò pervenit mœſtitiæ, ut potu tauri ſanguine mortem ſibi ultrò conſciſceret. Plutarch. de ſuperſtit.

Alium novi, qui mori vehementer cupiebat, affirmans ſe eſſe præſcitum, & ejus peccata graviora, quam ut remitti poſſent, ideò ſublimati copiam devoraverat: hunc exhibitis medicamentis, quibus venenum evomuit, admonui, ut ſe non interficeret, ne pœnas tantò citius delictorum lueret: tunc deinde remediis adhibitis convenientibus ad ſe rediit. Rod. à Caſtro Med. pol. l. 3. c. 12.

Ut ex relatis appareat 1. melancholicos quandoque, ut ſupra dictum, lætitiâ, delectatione & voluptate affici; ut illi qui ſe Mo-
narchas

narchas, Reges, divites, &c. eſſe, ſibi imaginantur. Quidam eorum ſunt qui rident; & propriè quorum melancholia eſt ſanguinea; quoniam imaginantur quod placet, & delectat eos Avic. l. 3. Fen. 1. tr. 4. c. 19.

2. Pro diſpoſitione humorum variâ, vitæ, conditionis ac cogitationis varietate, innumeram hîc varietatem occurrere. Sennert. Pract. l. 1. part. 2. c. 8. Caprivacc. med. pract. l. 1. c. 10.

3. Pathemata hæc lucida intervalla, & ſuas per vices exacerbationes & remiſſiones habere; & aliquos certis temporibus duntaxat, ut aliqua anni tempeſtate, vel lunæ mutatione, & præſertim mulieres, dum uterum geſtant, vel perpererunt, vel per menſes purgantur, ſic divexari. Plater. Prax. T. 1. l. 1. c. 3. p. 85.

Sub initium veris & autumni literatus ille delirabat apud Fr. Hildesh. de cereb. morb. ſpicileg. 2. p. 155. & ſeqq.

Sub caniculâ Medicus ille Venetus, de quo ſupra p. 3. in plenilunio magis ille ridebat apud Valeſc. de Taranta, Philon. l. 1 c. 13.

Qui caninâ lupinâve melancholiâ tenentur, februario menſe noctu domos exeunt, in cunctisque lupos & canes imitantur, usque ad diluculum vagantur, ſepulchraque præcipuè recludunt. De Melancholia in lib. ſpur.

Ga-

Galeni. Hinc erraбunda à quibusdã dicitur hæc melancholiæ ſpecies, quam notavi in quodam cive noſtro Joh. Jac. Engelhardo, ſartore, qui aliquoties iſtô affectu laborabat, præcedebant inflationes hypochondriorum, cum ſtupore & lancinantibus manuum pedumque doloribus, ac neſcio quâ ſubitaneâ ſuffocatione, absque ullo catharri illabentis indicio, idque cum primis, dum quieſcebat, hinc lecto illatus, nullis ibi precibus aut increpationibus detineri poterat, ſed ſubito profiliens, continuo per pavimentum obambulabat, deſperabundus erat, ob neſcio quæ enormia peccata, nec à miniſtro Eccleſiæ ſolamen, nec à Medico medicamen, nec ab adſtantibus conſilium admittebat, vix vi quædam infuſa; menſtruô fere ſpaciô ſic agebat, idque ſub rigente bruma, Dec. ſc. & Jan. menſibus, cœteroquin ſanus recteque rationis per ipſum annum particeps. Argonauta.

4. In melancholiâ in unâ re aliquâ eſſe lapſum ſeu delirium pertinax, in unâ plerumque cogitatione falsâ defixum, conſtante in reliquis judicio, ſapienti ratiocinatione, & prudenti diſſertatione. Aret. l. 1. diut. c. 5. Foreſt. l. 10. obſ. 15. Sennert. ex Huarto l. c.

5. Memoriam in omnibus eſſe conſtantem. Fr. Hildesheim. l. c.

6. De

6. Dæmones humori melancholico ſe immiſcere, & in eo ſedem habere, (Jul. Alexandr. conſ. Scholtz. 175. Matthiol. de morb. Gall. 231.) cum peregrinis linguis loquantur & futura prædicant melancholici & maniaci. Vid. Sennert. Pract. l. 1. part. 2. c. 15. quæſt. 1. H. Saxon. Pract. l. 1. cap. 17.

Quamvis quidam, teſte maximo medico Aretæo, per morbos futura prævident & prædicunt: & quidam, ſine dæmone, in morbis variis loqvuntur lingvis. J. Heurn. in reſponſo de Lamiis pag. 42.

Fœminæ, quæ in ſuſpicionem magiæ, ob imaginationes melancholicas, trahuntur, plerunque melancholicæ ſunt. J. Heurn. l. c. Tenui mulierem in cura, quæ dicebat quod diabolus coierat cum eâ qualibet nocte: & tandem curata fuit cum adjutorio Dei. Valeſc. de Tar. Phil. l. 1. c. 13.

Pro exturbandis igitur, & è corpore expellendis eliminandisque ejusmodi humoribus melancholicis & atrabilariis, (præter enarratas aſtutas, facetas & ingenioſas curationes) Natura inter alia medicamenta ſubminiſtravit etiam Cæruleum cum ſuis ſpeciebus, de quo aliquid commentari noſtri jam erit inſtituti.

CAPUT I.

De differentiis Cærulei.

CÆruleum vel cœruleum è ſuccorum concretorum quarto genere: Agric.de nat.foſſil. l.3.c.1. nomen generale eſt, varias ſub ſe habens ſpecies, hoc colore præditas.

Dicitur autem *Cæruleum*, à colore cæruleo vel cœruleo; hic à cœlo, cui tribuitur color ſapphirinus, himmelbau.

Græc *κυανὸν* vocant; à *κυανὸς*, color cæruleus: à quo etiam herba *κύανος*, cyanus.

Et *χολὴ κυανέη, ἢ κυανίζουσα*, bilis cærulea.

Arabibus eſt *Azul* & *Lazuli* : quæ vox apud Barbaros cæruleum ſignificat, & omnibus accommodatur, quæ eum colorem participant, ſeu gemmæ ſint, ſeu arenæ. Cæſalp. de metallic. l.2.65.

Germani ab Arabico vocant *Laſur*.

De ſpecierum nominibus in differentiis agetur; ad eas itaque properabimus.

CAPUT II.

De differentiis Cærulei.

CUm videam Autores, non infimi ſubſellii Medicos, 1. Cæruleum, lapidem Armenum

num & lapidem lazuli, haud abſque ratione confundere, & pro uno eodemque habere: Matthiolum Cæruleum cum lapide lazuli; comm. in Dioſc. l. 5. c. 66. Avicennam l. 2. Can. tr. 2. c. 57. Platearium de ſimpl. medic. lit. L. c. 3. uno capite de lapide Armeno & cyaneo agere: clarum eſſe omnibus, Avicennam, Averroem, ac Serapionem, per lapidem lazuli, Armenum ſignificaſſe, juxta J. Bapt. Theodoſ. epiſt. 55. J. Manard. in Meſue ſimplicia c. 15. H. Solerium in Aëtii tetr. 1. ſerm. 2. c. 47. & 58. Lobel. in pharmac. officin. Rondel. f. 60.

2. Eosdem locos natales vel rationem originis iisdem aſſignare. Pharmacop. Auguſtan. claſſ. 4.

3. Chyſocollæ ſingulos libentiſſime adhærere ſcribere: vide in hoc cap. diſt. 2.

4. Vires purgandi atram bilem, quamvis alios aliis efficaciores, unicuique attribuere: vide infrà c. 8.

5. Unum alterius (ut lapis lazuli lapidis Armeni) ἀντιβαλλόμενον vel ſuccedaneum eſſe: Pharmac. Auguſt. f. 20. Diſpenſ. Colon. in Succedaneis. B. Deſſen. Cronenb. de comp. med. l. 4. p. 439. & l. 5. pag. 492. has Cærulei differentias conſtitui poſſe puto, ut ſit

I. *Vel nativum, vel factitium.* De poſteriori

 poſt-

poſtea c. 10. de priori, quod Germanis berg-laſur/bergblau/dicitur, jam.

II. *Igitur differt Cæruleum nativum loco natali.* Veteribus cærulei genera in uſu fuerunt, nationibus diſtincta, *Scythicum, Cyprium, Hiſpanienſe*. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 20. ex Plin. l. 33. c. 13. ſeu ultimo. & l. 37. c. 9. *Armenium* verò olim deferebatur ſolùm ex Armeniâ, Plin. l. 35. c. 6. quod *cæruleum Armenium*, Plin. l. c. *Armenicum*, Galen. l. 9. ſimpl. *Armeniacum, Armeniacum pictorum*, Armenium quo pictores utuntur. Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 47. & tetr. 2. ſ. 3. c. 32. *lapis Armenius vel Armenus, lapis Armeniacus*, λίθος Αρμενιακός. A. Trallian. l. 1. c. 16. P. Æginet. l. 7. c. 3. vocatur.

Decepti verò ſunt & noſtro ævo, qui terram Armenam, vel bolum Armenum, lapidem Armenum eſſe putarunt. Nam lapis Armenus verè eſt lapis inter colores floridos numeratus: viridis autem eſt in cæruleum inclinans. Quin & Galenus dicit, à quodam fuiſſe donatum terrâ Armenâ, & ille qui donavit, vocavit eam lapidem. A. M. Braſſavol. exam. ſimplic. pag. m. 790.

Qui dabat, (bolum Armeniæ) lapidem appellabat. Aët. tetr. 1. ſect. 2. c. 12.

Quo etiam inclinare videntur Francofurtenſes, dum in valore ſive taxatione medicament. Ao. 1643. p. 55. ita: Lapis Armenus, vide Bolus.

Quam-

Quamvis enim lapis quidam, Armenius dictus, in verâ bolo Armeniâ incluſus reperiatur, ſicuti Samius lapis in Samiâ terrâ: Kentmann. nomencl. rer. foſſil. p. 36. & terra ipſa ſeu bolus Armenus, utpote gravis, iis, qui non benè conſiderant, videatur lapis: vid. Aët. l. c. Camerar. ſynops. comm. de Peſte, à pag. 83. tamen diverſiſſima hæc ſunt. Color enim & bolo Armeno & lapidi eidem incluſo, luteus eſt vel pallidus, ſeu in pallore ſimilis auro vel ochræ; lapidi vero noſtro Armeno è viridi cæruleus.

Græcis lapis Armenus eſt, ἀρμένιακόν.

Arabibus *Hager Armini*.

Aliis *Opandica* Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 21.

Necheſo *Armutheus lapis* Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 47.

Italis vel Gallis *Azurro*, *Verdazus*, *Verde azurro*, *Verd d' Aſur*. quaſi dicas cæruleus color viridi permixtus, vel viride cæſium, vel viride cæruleum.

Chryſocolla lapidea Indica, Paludano.

Germanis Armenierſtein / Armeniſcher Purgierſtein / Kentmenn. nomenc. rer. foſſil. pag. 54. interpretatur Laſurſtein: Bergblau / blau berggrün / blaugrüne Erde / blau ſchifergrün.

Lapis enim eſt colore cæruleo ad viriditatem tendente, (hinc chryſocollæ admodum

 ſimilis

ſimilis eſt, verum plus cærulei habet: chryſocollæ modo infectus, Plin. l. 35. c. 6.) vel maculis viridibus & ſubnigris relucens, opacus, mollior lapide lazuli, cum facilè in pulverem reducatur, & arenoſum quippiam continere videatur, auri puncta & venas non habens, ætate in viridem degenerans, coloremque in igne perdens.

Quamvis verò jam ex Armeniâ vix deferatur: & Armenium lapidem hodiè non facilè inveniri poſſe, ſcribat Manard. l. 3. epiſt. 3. J. Coſta annot. in Meſue de ſimplic. l. c. c. 13. & teſte Raby Moyſe nemo noſcat lapidem Armenum. Nicol. Præpoſ. Diſpenſarii l. 2. lit. D. fol. 41. & l. 1. partic. 2. c. 1. fol. 16. ubi ſubdit: Et de eo etiam fecit Avenzoar nobiliorum medicorum dubietatem, ut ſingulariter notat Jo. Matthei de Gradi, Papienſis doctor clariſſimus, & rerum ignotarum diligens perſcrutator aſſerens, ſe quæſiviſſe ab apothecariis, quid eſſet lapis Armenus, nec unquam ſcire aut videre potuit. Armeniacum deſideratur, niſi ſit officinarum lapis lazuli, quem docti cæruleum Dioſcoridis lapidem volunt: quidam volunt nos Armeniaco lapide carere. Color tamen & facultates convincunt aliquid eſſe, quod cæruleo (qui lapis lazuli transmarinus nominatus eſt) lapidi viribus reſpondeat. Quibus-

dam

dam placet lapidem inveniri in fodinis metallicis,qui Armeniaco veterum reſpondeat. Is Verdaſur nominatur.H.Soler.in Aëtii tetr. 1.ſ. 2. c. 47.

Tamen Armenium præter & extra Armeniam, alias quoque regiones gignere poſſe, demonſtrat Matthiolus. Quippe Phrygius lapis,à Phrygiâ regione dictus, optimus in Cappadociâ foditur, ut Dioſcorides eſt author: quemadmodum in Gagatis, Phrygii, Aſſiique genere nobis recipiuntur, qui alibi quam in Gaga fluvio, in Phrygiâ & Aſſo inveniuntur. comm. in Dioſc.l.5. c. 65.

Addo ego lapidem Judaicum non amplius ex Judæâ accenſiri, ſed ex Sileſiâ, C.Schvvenckfelt. de foſſ.Sileſiæ l.3.p.382. ex Marchiâ veteri, (Encel. de lapid. l. 3. c. 28.) aliisve locis peti. Ita cretam Cimoliam non amplius ex inſulisCycladibus,ſed ex Buchoniâ Franconiæ, Bohemiâ, Misniâ, Saxoniâ,aliisque locis habemus. Agric. n. f. l. 2. c. 13. Umbriam ampelitidem non Italia, ſed ager Colonienſis jam nobis ſuppeditat. Libar. ſingul. part. 3. l. 8. c. 7.pag. 1030. Sic meo judicio non opus eſt,ut maximis impenſis Vitriolũ è Cypro advehamus, cum illud quod Neilæ in monte Fichtelbergo Franconiæ excoquitur, Cyprio tùm pulchritudine, tùm bonitate non cedat.

Hinc *Armenio lapide vera Tyrolenſium* metalla abundant: Joh. Langius l. 1. epiſt. med. 71. Matthiol. epiſt. l. 3. f. 116. & comm. in Dioſc. l. 5. c. 65. In Comitatu Tyrolenſi producitur ſub nomine *Melochites*. J. Schröter. Pharmacop. medico-Chym. l. 3. c. 2.

Sed Matthiolus eos prorſus aberrare exiſtimat, qui lapidem hunc (Armenium) Melochiten eſſe cenſent, quum Melochites, etſi craſſæ ſit viriditatis, nihil tamen cognationis habeat cum cæruleo, nec melancholicos juvet, ſed tantùm pro amuleto infantibus & pueris ſuſpendatur adverſus nocivos caſus. Quamquam ſuâ non fruſtrentur opinione, qui Armenum pro Melochite ſuſpendunt. Quandoquidem (ut fatetur Serapio Linacri autoritate) idem Armenus præſtare poteſt. l. 3. epiſt. f. 116. & comm. in Dioſc. l. 5. c. 65. Vide infra cap. 9.

In *Lygiis ad Goldbergam* foſſæ & putei vetuſti æris Armenium habent C. Schvvenckfelt. foſſil. Sileſ. l. 3. p. 366. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 20.

Non ſolùm in *Armeniâ*, ſed etiam in plurimis *Germaniæ* fodinis argenti reperitur. J. G. Andern. de med. v. & n. comm 2. dial. 5. f. 257. A. M. Braſav. exam. ſimpl. pag. m. 733. B. Deſſen. Cronenb. de comp. med. l. 5. p. 498.

Lapis Armenus vel ejus venæ reperiuntur in

in finibus *Wirttenbergenſis Sueviæ*, verſus meridiem & occaſum hyemalem in montibus. V. Cordus ſylv. obſ. f. 219.

Reperitur etiam in *Bohemiâ*: P. Albin.

In *Hungariâ*:

In *Tranſylvaniâ*:

In *Poloniâ*, *Crotini*: L. Hulſ. Chron. c. 27. p. 25. Cæruleum nativum purum ex Poloniâ: Ein fein Polniſcher Laſurſtein. Kentm. p. 16.

In *Miſniâ*: P. Albin. Chron. Miſn. metall. tit. 24. fol. 185. 186.

In *Franconiâ*: Lapis Armenus *Schmalkaldicus*, vel Cæruleum nativum globoſum Schmalkaldicum, eſt inter meos lapides.

Armenium Islebianum: Blau ſchifergrün. Kentm. p. 17. P. Albin. Chron. Miſn. metall. tit. 24. f. 186.

Hinc Romani pro lapide Armeno ſubſtituunt lapidem Armenum, ex metallorum fodinis Germaniæ, è la rocha delle torchine. Antidotar. pag. 7.

Cæruleum nativum ſeu *lapis lazuli*, habetur ex oriente ut *Aſiâ*, vel etiam *Africâ*: abundat etiam in iiſdem Tyrolenſium Germaniæ metallis, in quibus lapis Armenus. J. Lang. loc. cit.

Et *Cuperbergi*, *in ærariis Sileſiorum*, & in vetuſtis puteis ærariis Lygiorum ad Haſelam. C. Schvvenckfelt. l. c. p. 375.

Aliisq; ærariis,argenteis,aureis ſcaptenſulis. Lazuli tamen lapis,ceu maturior,crebrius invenitur in fodinis aureis, Armenus in argenteis. J. Schröt. pharm. medico-chym. l. 3. c. 8. lapidem lazuli ſolum in fodinis aurariis inveniri: ſin in argentariis vel ærariis inveniatur, eas aliquid de auro participare, ſcribit Fr. Samſovin. della mat.med.l. 2. pag. 252. Memini (inquit Matthiolus) me ad nonnullas tàm æris, quam argenti fodinas acceſſiſſe, in quibus & cærulei & Armenii in acervos congeſti plurimum vidi: attamen nullum mihi in iis locis cæruleum repertum eſt, quod aureis fulgeret ſcintillis, eò quod non proveniat hoc niſi tantùm in auri fodinis Matthiol. comm. in Dioſc. l.5. c. *66*. In *Cluidsdale Scotiæ* inter Craufordiæ teſqua tempore Jacobi IV. aurifodina reperta,& Azurrum ſine ullo labore quotidie eruitur. Guil. Camden. Britanniæ p. *666*:

· Armenius lapis & Cyaneus,ejusdem ſunt naturæ, & ſæpè in eodem lapidis fruſto reperiuntur, quemadmodum Miſy & chalcitis. Lobel. in offic. pharm.Rond.f.*60*.

In argenti & auri metallis naſcuntur etiamnum pigmenta,Sil & Cæruleum.Plin.l.33.c.11.

Potiſſimum venæ metallicæ ærariæ chryſocollam & cæruleum ſolent creare. Agric. de nat, foſſ. l. 3.c. 19.

Cæru-

Cærulei origo ex ærariis metallis in *Cypro*. Dioſc. l. 5. c. 66.

Schwacii, in Zillersthal/ Gaſtein und Rauris effoditur lapis lazuli. Thurneiſſeri Piſon.

In altiſſimâ Suditarum montium parte, quam falſo *piniferum montem* appellant. Agric. de nat. foſſ. l. 3. cap. 20. P. Albin. Chron. Miſn. metall. tit. 24. p. 185.

Invenitur etiam Cæruleum (Azurro fino, molto iſtimate da i pittori) in *Italia Hetruriâ mediterraneâ propè Volaterras & Piſtoriam*. Leand. Albert. deſcript. Italiæ, pag. 55. Gottfr. Schultzen kurtze Weltbeſchreibung. p. m. 323.

In *Tartariâ*. G. Schultz/ l. c. pag. 456.

Armenum lapidem ex *Germaniâ* habemus partim chryſocollæ miſtum. A Muſ. Braſav. exam. ſympl. pag. m. 733. & 801.

Cæruleum nativum vel lapis lazuli cum chryſocollâ, berglaſur mit angeflogenem berggrün/ in ærariis *Sileſiorum* ſupra dictis invenitur. C. Schvvenckfelt l. c. pag. 375.

Cæruleum nativum *Goldbergenſe* cum chryſocollâ, in venâ ferri reperta, in lapide candido, qui igni liqueſcit: Ein ſchön berglaſur mit einem angeflogenen berggrün / in einem eiſenertz und weiſſen quartz. Kentm. p. 17.

Cæruleum nativum *Suebergenſe* & chryſocolla pura, in ſilice candido diſtinctè adhærente:

rente: Ein ſchöne Berglaſur/ſamt einem reinen berggrün / an einem harten und weiſſen Feuerſtein unterſchiedlich anhengend. Kentm. loc. cit.

Cæruleum pulchrum Armeno lapidi & chryſocollæ venis permixtum, reperitur in iisdem lapidis Armeni venis in *Sueviâ*, de quibus ſupra. V. Cord. ſylv. obſ. f. 219.

Cæruleum nativum cum chryſocollâ nativâ, marmori metallico rubro adhærens, *ex fodinis Pulacenſib. propè acidulas Dainacenſes in Wirtenbergiâ*: ut &

Cæruleum & chryſocollam lapidi effoſſo ad pagum Nobil. Truchſeſſior. à Witzhauſen/ Bundorff/ *ad ſylvam Haſsbargicam in Franconiâ*, adnata; angeflogen: inter mea naturalia ſervo.

Cæruleum & chryſocolla olim ex iisdem metallis *inſulæ Damoneſi* Carthaginenſium eruta fuiſſe, ex ignoto Græco refert Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. & 20.

Chryſocolla enim adeò gaudet Cæruleo, ut hi duo ſucci concreti frequentiſſime ſimul nati, uni eidemque glebæ metallicæ adhærerant, videaturque alter, propè appoſitus, alterum incluſum ſæpire atque complecti: & modò plus cærulei concreviſſe, quod Theophraſtus vidit: modò chryſocollæ plus, quod æquè ac alterum ipſe vidi, inquit Agric. de

nat

nat. foſſ. l. 3. cap. 20. & ex hoc Gorræus def. med. πὶκ. f. 251. Vid. etiam Kentm. p. 37. P. Albin. Chron. Miſn. met. tit. 24. f. 185. C. Schvvenckfelt foſſ. Sileſ. l. 3. p. 375. Muſ. Calceol. ſect. 3. f. 232. J. Paul. Pernumia Philoſ. nat. l. 3. c. 11.

Lapidem Armenum & lazuli, in uno cuniculo Germaniæ, imò utrumque in uno eodemque fruſto, offendit Fr. Sanſovino delle mater. medic. l. 3. p. 252. Matthioli ſemper fuit opinio, Armenum & cæruleum ex eâdem conflari materia in terræ viſceribus, nullamque aliam inter eos intercedere differentiam, quam quod Cæruleus fuerit magis excoctus, epiſt. l. 3. f. 116. & Armenium nil aliud ſit, quam cærulæi materia, nondum à calore in terræ viſceribus ad ſummũ perfecteq; cocta: & lapis lazuli cum Armenio non obſcuram habeat cognationem, quod utrique ſimul in iisdem proveniant metallis, indiſtinctè promiſcueque oriantur, adeo ut cærulei fructum, Armenii non modicum contineat, ſicut è converſo, quod in pluribus Germaniæ locis vidit idem Matthiolus comm. in Dioſc. l. 5. c. 66.

Differt III. Cæruleum colore, qui in uno intenſè cæruleus eſt, in alio remiſsè.

Armenium à cæruleo propriè vocato non differt, niſi modico candore, qui, ut Plin. ſcribit,

bit,(l. 35. c. 6.) teneriorem hunc efficit colorem. Agric. de nat. foſſ. l.3. c. 21.

Notandum autem eſt, quod *Armenium* ſeu *Ammoniacum* quod appellant, idem ferè eſt cum cæruleo, parum ab ipſo differens; præterquam quod in paucâ quadam albedine. J. P. Pernumia Phil. nat. l. 3. c. 11.

In lapide Armeno eſt aliquantulum azuli coloris, non tamen eſt in colore azuli. Avic. l. 2. canon. tr. 2. c. 417.

Aliquando nigro & viridi maculatur. J. Jonſton. notit. regni mineral. tit. 2. c. 2. pag. 20. Ætate in viridem degenerat. Id. ib. tit. 2. art. 3. p. 47.

Recentiores in *marem* & *fœminam*: veteres in *perfectum* & *imperfectum* diſtingvunt. In officinis imperfectiſſimus habetur, ut cui color ille cæruleus deſit. J. Guint. Andern. de vet. & nov. med. comm. 2. dial 5. f. 248. 249. ex. A. M. Braſavol. in exam. ſimpl. p. m. 731.

Si cæruleum ſit aureis punctis & flammulis notatum, vocatur *lapis lazuli*, *Lazurius*, ab Arabico *Azul*: *lapis cyanus*, *cyaneus* vel *cæruleus* in ſpecie.

Quidam Leonardus, qui de lapidibus agit, ita hunc lapidem novit, ſicut omnes alios: neſcio an aliquis ineptius de aliquâ materiâ ſcripſerit. Hic bonus vir Cyaneum & Cæruleum duos lapides eſſe arbitratus: tamen eisdem

eiſdem verbis in utriſque enarrandis utitur. A. M. Braſav. ex. ſimpl. p. m. 730. 731.

Græcis *κυανὸς*, vel *κύανος*, vel *κυάνεος λίθος*.

Cyanea Scythia gemma, cæruleo corruſcans nitore, purpura interdum & punctulis intermicantibus auratis pulviſculis varians. Iſidor. l. 16. c. 9.

Cæruleum nativum Schwenckfelti.

Cæruleum nativum lapideſcens, *in quo auri puncta, Paludani.*

Lapis ſtellatus Meſue, quod maculas quasdam aureas, ſtellarum modo radiantes habeat. Meſue de ſimplicibus in medicinis laborioſè ſolventibus c. 14.

Quum hîc (ſimpl. c. 14.) lapidis ſtellati vocem & cyaneo & pyritidi vel marchaſitæ, rebus ſpecie diverſis aſcribit Meſ. confundere tamen res ipſas ego non dixerim, quod ejus adverſarii. (Manardum intelligit, qui hîc magnum eſſe chaos dicit) Exiſtimarim potius illius tempore hanc vulgò fuiſſe hujus vocabuli uſurpationem, ipſumque neglecta accuratiori de vocibus inquiſitione rebus ipſis fuiſſe intentum. J. Coſta in Meſue l. c. Quod verò Meſue marcharitæ mixtum improbat, & antiqua tralatio quandoque mineram utrumque (lapidem ſtellatum & marcheſitam) ſimul ferre ſcribit; intelligi poſſe

poſſe puto, de lapide lazuli in unâ eademq; minerâ pyritidi adnato, ob quam cauſam etiam marchaſita lapis ſtellatus vocetur.

A. M. Braſav. Meſuen lapidis ſtellati duas ſpecies enumerare ſcribit, alteram eſſe marchaſitam argenti, alteram lapidem lazuli: in exam. ſimpl. p. m. 729.

Lapis radians Myrepſo.

Arabibus *Hager Azul, Hager Alezacard, Alzenard, Alzanard, Lazuard, Lazivard, Lazivad.* An igitur lazul quaſi alazul, articulo coaleſcente cum nomine & factâ contractione. Izul & Azli Arabibus eſt continuus, durabilis, æternus. Lazuli præſtantioris, qui fixus dicitur, color in ævum durat. M. Martin. in lexic. philolog. in vocabulo Lazulus.

Italis *pietra cerulea, lapis lazuli.*

Hiſpanis *Azul.*

Gallis *da l' azur.*

Germanis berglaſur/laſurſtein/laſurblau.

Sapphirus Plinii, quem aureis punctis collucere ſcribit l.37.c.9. Verùm contradicit Teſoro delle gioje c.6.p. 43. & falſiſſimum eſſe dicit, intelligi per Sapphirum Plinii, lapidem lazuli: cum detur ſpecies ſapphiri non tranſparens, continens arenas aureas.

Lapis enim eſt cæruleus, ſapphiri aut florum cyani colore, aureis punctis, venis aut flammulis interſtinctus & collucens, ali-

quan-

quando abſconditum intra ſe aurum tegens, quod arte quadam ab eo elicitur, durior lapide Armeno.

Jo. Freitag. lapidem lazuli, nunc aureis, nunc argenteis radiare punctis vel ſtellis, pro ratione metalli, cui adhæret vel connaſcitur, ſcribit, Auror. Medicor. l. 2. c. 19. p. 268.

Differt IV. Cæruleum conſiſtentiâ, aliud durum eſt, aliud friabile.

Durum eſt cæruleum lapideſcens, ſeu lapis lazuli & lapis Armenus: lapis tamen lazuli durior eſt lapide Armeno, ut ſupra differentiâ II. dictum.

Lapis lazuli ſubſtantiâ eſt lapideâ, Jaſpidi ſcilicet germanâ. Et de hoc cæruleo lapideſcente agit Plin. l. 37. c. 9.

Non eſt in Azuli ſoliditate, ſed eſt in eo arenoſitas quædam, & eſt lenis tactus. Avic. l. 2. canon. tr. 2. c. 417.

Friabile eſt cæruleum arenoſum. Reperitur enim vel per ſe ſabulo arenævè duræ ſimile. Et de hoc agit Plin. l. 33. c. 13. ut hoc modo omnis tollatur implicatio & confuſio, quam ſibi fingit Hermolaus Barbarus. Vide Fr. Rucus de gemm. l. 2. c. 21. qui etiam lectioonem Plinianam corrigit hoc modo: Reddetur & per ſe cyanos nomine, accommodato paulò ante Jaſpidi colore cæruleo.

Vel abraditur à materiâ metallicâ, cui adhæret,

hæret, (iſt angeflogen oder angeſprenget) in ærariis, argentariis, aurariis venis : Schiefer-blau: in quibus ſi inveniatur , auri & æris commune indicium eſt. Agric. de re metall. l. 5. fol. m. 78. & de nat. foſſ. l. 3. c. 20. l. P. Pernumia, Phil. nat. l. 3. c. 11.

Cæruleum nativum *Gishübelianum*, in pyrite, ex quo argentum excoquitur: Ein Berg-laſur in einem gar ſchönen Kupfferkieß/daraus täglich eine graue Farbe wächſt. Kentm. p. 17.

Nativum cum lapide rudi condito : ein reiner Laſur an weiſſem Stein. Kentm. p. 16.

Islebianum in lapide fiſſili : Bergkaſur in Schiferſtein. Kentm. p. 16. & 68.

Reperitur etiam cæruleum in glebis terræ.

Cæruleum nativum copioſè adhærens terræ duræ cinereæ tenui: Berglaſur / ſo häuffig wächſt an einer grauen ſchirblichten Erden. Kentm. p. 16.

Cæruleum pulcherrimum *ultramarinum ſeu Cyprium*, in terrâ cinereâ, ſimile cæruleo factitio optimo. Ein ſchöne Laſur in einem lichtgrauen Erdreich aus Cypern. Kentm. p. 16.

Nativum inſigne gleboſum *Snebergenſe*, intus concavum, quod ex terrâ conditâ ſabuloſâ effoditur. Schön blau Laſur Kugeln / die inwendig hohl/und in einer weiſſen grießlichten Erden gefunden werden. Kentm. p. 16. P. Albin. Chron. Miſn. metall. tit. 24. fol. 185.

Pata-

Patavinum, quod in glebis ſubcinereis terræ reperitur; terra interior, primo eſt candidiſſima; ea breviſſimo temporis ſpacio propter ambientem aërem mutat colorem nativum & fit cærulea. Ein blau in dunckelgrau Erdkloßen üm Padua gefunden; Paduaniſch Laſur oder Paduaniſch blau. Kentm. p. 16. & 1. F. Imper. hiſt. nat. l. 5. c. 44.

Nativum *Thuringicum*, quod effoditur magnâ copiâ juxta *Mogellam*: Creta cærulea, quâ fabri in pingendis parietibus utuntur: Gemein blau / ſo man in Thüringen findt oder bricht: Döringiſche Kreide. Kentm. p. 16. & 7. P. Alb. Chron. Miſn. met. tit. 24. q. 185.

Nativum *Polonicum*, cum terrâ durâ ſabuloſa candidâ: Ein Polniſch Laſur / mit einer harten grißlichten weiſſen Erden vermiſcht. Kentm. p. 16.

Differt V. Cæruleum fixitate: aliud enim fixum eſt, & contra flammas contumax, aliud non, eique nulla flammarum patientia. Non fixum igni impoſitum colorem mutat, ut lapis lazuli occidentalis, Germanicus, aliusvè communis, & lapis Armenus.

Fixum in igne calorem retinet, ut lapis lazuli legitimus, ex oriente, Aſiâ vel Africâ, allatus.

Tinctores & pictores lapide Armeno utuntur loco Azuli. Avic. can. l. 2. tr. 2. c. 417.

Hinc ex lapide lazuli fixo, (quem tantùm in auri metallis in orientalibus regionibus fodi, ſcribit Matthiol. comm. in Dioſc. l. 5. c. 66.) color cyaneus ſeu ultramarinus, azurro oltramarino, auro pretioſior, fixus & in ævum durans; ex non fixo, & lapide Armeno, mutabilis conficitur, qui externis injuriis facilè læditur, & temporis progreſſu vireſcit; ut infra dicetur c. 7. & 10. vide etiam c. 5.

CAPUT III.

De Sapore Cærulei.

SApor cæruleo eſt miſtus, nempè acris, & qui parum aſtringit. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 20. C. Schvvenckfelt. l. c. p. 375. Armenio verò quanquam etiam ut cæruleo ſapor miſtus, tamen etiam parum acre eſt, & minimum aſtringit, cum cæruleum, cum hoc ipſo collatum, ſit multum acre & plus aſtringat. Agric. l. c. c. 21.

CAPUT IV.

De modo generationis cærulei.

GEneratur cæruleum nativum, cum ſalſus & acidus humor corroſerit materiam metallicam. C. Schvvenckfelt l. c. pag. 375. in fodinis nempè ærariis, (& in his ut plurimum) argentariis, aurariis.

Materia verò illa corroſa, à calore ſubterraneo, aut calcinatione in lapidem durum, lazuli, vel molliorem, Armenum, excoquitur; aut veluti per ſublimationem cogitur adhærere lapidibus, quarzo, marmori metallico, fiſſili &c. aut quaſi per præcipitationẽ detruditur ad fundum aquæ, quâ evaporatâ ſubſidet cæruleum formâ terræ, ſabuli, arenæ.

CAPUT V.

De delectu cærulei nativi ad medicinam, ejusq; Succedaneo.

PRæfertur *lapis Armenus* lævis, colore cæruleo, perquam æquabilis, calculo carens & friabilis. Dioſc. l. 5. c. 65. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 21.

Eligendus eſt lapis Armenus colore inter viridem & obſcurum terreum Indumque medio, maculis tum viridibus, tum nigris diſtinctus, tactu lenis, aſperitatis expers, lapideâ nondum duritie, ſed facilè friabilis & pulverabilis. Meſue ſimpl. l. c. c. 13.

Optimum Armenium eſt, quod maximè viride eſt, communicato colore cum cæruleo. Plin. l. 35. c. 6.

Hinc in officinis imperfectiſſimum, vel *fœmina*, habetur, cui color ille cæruleus deſit, uti ſupra c. 2. differentia 3. dictum.

Eligatur *Lapis lazuli*, cujus eſt color cœleſtis multum cum corpuſculis aureis, & lenis ſine aſperitate, & ſine admixtione alterius lapidis, & qui non frangitur facilè, & cujus fruſta ſunt magna. Serap. ſimpl. c. 389. vel c. 879. edit. argentorat. 1531.

Cyæneus lapis è Scythia eſt optimus, ſi cæruleo corruſcabit, cujus gnari in *marem* & *fæminam* genus dividunt. Fœminis nitor purus eſt: mares punctulis ad gratiam interlucentibus, auratilis pulviſculus variat. J. Solin. Polyh. c. 25.

Probatur cærulea gemma aureo pulvere conſperſa. Unde & ſtellatum lapidem dici Invenio, quod ſtellis ſimiliter lumini expoſitus aureo pulvere ſcintillet. Præfertur quæ cæruleum ſui nominis præſtantiſſimum (quem noſtri Azurum vocant) colorem asſequitur, conſimili undequaque ſubſtantia & concremento. Fr. Rucus de gemmis l. 2, c. 21.

Lapis lazuli optimus eſt, qui perfectiſſimum cyaneum colorem habet, & guttis aureis interlitus vel ſtellatus eſt, cui nullus alius adhæreat lapis, neque facilè frangitur. Secundum locum obtinet, qui argenteis punctis coruſcat; & hic apud nos frequentior eſt. J. Freitag. Auror. Medicor. l. 2. c. 19. pag. 271.

Lenis, planiſſimus, friabilis, alterius materiæ expers, laudatior eſt. J. Guint. Andern. l. c. f. 248.

Aureis

Aureis maculis diſtinctus, ſeu in cujus fracturis radiantes quædam ac ſplendentes aureæ ſtellæ ſcintillant. Pharm. Aug. claſſ. 4.

Deligitur inebriato colore, id eſt, ſaturato ſive cæruleo coruſcante B. Deſſen. Cronenb. de compoſ. medicamentor. l. 5. p. 497. ex Solino c. 20.

Cyaneus durus lapis eſto, labeque purus,
Cæruleo primo potes hoc cognoſcere ſigno.

Diſp. Colon. Addit. in rhytmos M. Ottonis Cremonenſis f. 13.

Lapis lazuli optimus eſt marmoreus, colore cæruleo & venulis quibusdam aureis ſubviridibusque probè tinctus, qui ſuper carbones accenſos tamdiu, donec candeſcat, poſitus, deinde frigidus, non friatur, ſed durus, atque cæruleo colore vehementer tinctus remanet. Alex. Pedemont. Secret. l. 5. p. 194.

Qui ex lapide lazuli calorem ultramarinum parant, bonitatem fixitatemque ejus vario modo explorant. Bonitatem arguunt ſi 1. lapis lazuli cum ſputo vel aquâ madefactus in pannum albiſſimum appoſitum colorem violaceum pulcherrimum ſpargat: 2. ſi inter prunas ardentes candefactus, colorem, poſtquam refrixit, retineat: 3. ſi ſuper ferrum ignitum projectus, & in aceto albo acerrimo extinctus, colorem non mutet, imò intenſio-

rem acquirat: 4. ſi pulvis lapidis lazuli ſuper ferrum ignitum ſparſus, & colorem & conſiſtentiam lapidis retineat: ſecus ſi inſtar ceræ fluat. J. B. Birellus in Alchymiâ novâ, vertente ex Italicâ in Germanicam Uffenbachio l. 11. c. 79.

Lapidis Armeni, ſuccedaneum eſſe lapidem lazuli, ſupra c. 2. diximus. Armeni verò lapidis ſuccedaneum eſſe Atramentum librariorum Indicum, ſcribit Galen. de Succedaneis, annexis Jani Damaſceni operi: in ipſo verò Galeno eſt ſaltem Atramentum Indicum.

CAPUT VI.

De Cærulei præparatione ad medicinam vulgatiori.

ANtequam de viribus cærulei loquamur, prius de vario præparationis modo dicendum, hic enim vires ejus variæ & doſin.


Eſt autem uſus cærulei vel integri, vel præparatione diſſipati.

De integri viribus ultimò, cap. nimir. 9.

Præparatio eſt vel ad mechanica, vel ad medicinalia: de uſu mechanico vide ſis infra cap. 10.

Præparatio ad medicinalia eſt vel vulgatior, vel artificioſior: de poſteriori cap. ſeq. 7.

Vul-


e matrice
extracti.

Vulgariter præparatur 1. vel pulveriſatione ſolùm: 2. vel pulveriſati ablutione: 3. vel uſtione,eluendo empyrevma.

I. *Pulveriſatio* ſeu trituratio cuivis nota eſt. *Lapis tamen lazuli* diutius teri ſuſtinet, quam *Armenus*. Meſue de ſimplic. c. 14.

II. *Tritus lapis Armenus* & *lazuli* (de his enim Cærulei ſpeciebus præcipuè nobis ſermo eſt) *lavatur* ut Cadmia: Dioſc. l. 5. c. 66. lavatur autem in mortario trita,effuſâ ſubinde aquâ,dum ſordium nihil emergat. Dioſc. l. 5. c. 46.

Lavatur aqua dulci tricies mutatâ: deinde aquâ roſarum,vel potius bugloſſi cum Alkindo,decies mutatâ, ut ei vis quædam mira ad affectus melancholicos acquiratur. Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. & 14. Nicolaus Præpoſ. Diſpenſarii l. 1. partic. 2. c. 1. ſ. 16.

Lapis Armenus toties lavatur, ut nec odorem nec ſaporem amplius in aquâ dimittat, & demum ter quoque abluitur cum aquâ roſarum. J. Lang. l. 3. epiſt. 1. c. 8. p. m. 856.

Renodæus *Lap. lazuli* non modò decies, ſed vigeſies iterat,ſi fuerit opus, lotionem aquâ communi,ſemper iterum in ſole, vel cineribus calidiuſculis ſiccando: tandem abluit in aquis cardiacis,quater,quinquies aut pluries,tum exſiccatum ſervat ad uſum. Sicnamque inimica quædam hujus lapidis qua-

litas perit & retinetur purgatoriâ. Antidot. l. 2. ſect. 1. c. 11. & ſect. 4. c. 14.

Lavari autem ad pilulas conficiendas, in aquâ frigidâ, deinde cichorei, intybi, aliâque laxatoriâ debet: vel ex ſucco roſarum vel mercurialis. J. Guint. Andern. l. c. f. 249.

In pilulis receptus lapis cyaneus ad melancholicos affectus varios, ſi exactiſſimè teratur ſuper marmor frequenti viciſſim ſtillatitiâ borraginis initio, deinde è floribus violarum aut borraginis affuſa, donec nihil penitus intaminata limpidior ſynceraque omniſque ſaporis expers effluat. Lobel. in Pharmac. offic. Rondeletii f. 60.

Vigeſies vel ſæpius lavari debere, autumat Platearius pract. de febr. c. 5. & de ægr. cap. c. 5. decies vel novies: de ſimpl. medic. lit. L.

Lavatur etiam multoties hydromelite, vel aquâ & vino. T. Plater. Prax. T. 1. l. c. 3. p. 125. 126.

Lapidem Armenium eluere oportet, usq; ad duodenas vices. (Vetus legit quinquagenas; & quinquagies laviſſe oportere, ſcribit Jul. Alexandrin. conſ. Scholz. 175.) Al. Trallian. l. 1. c. 16.

Toties lavari debet, donec aqua non amplius inficiatur, ſed pura poſt lotionem maneat. J. Guin. Andern. l. c. f. 247. Signum perfectæ

perfectæ lotæ eſt, cum aqua ſupernatans parum aut nihil inficitur. Platear. de ſimpl. med. lit. L. c. 3. f. 91. & Pract. de ægrit. cap. c. 5. & de febrib. c. 5. Galenus toties abluit, aquamque tamdiu mutat, donec aqua ipſa pura ab omni ſorde videatur, omniqúe ſapore medicamenti careat. Docuit autem hoc Gal. non peculiariter de hoc lapide, ſed in univerſum de quavis re lapidoſâ, quæ ſit abluenda. Manard. annot. in Meſue l. c. J. de S. Amando expoſ. in Nicolai Antidotarium f. 237.

Et hanc per ablutionem ſeu lotionem præparationem retinet etiam Diſp. Auguſt. claſſ. 2. Romanum p. 167. quam tamen deridet J. Zvvelferus Animadv. in Pharm. Aug. cl. 20. f. 1. edit. 413. his verbis: Lotio autem præſcripta lapidis lazuli inepta & ridicula eſt, ac planè inconſiderata; ſive enim illud quod eluitur, ſive quod à lotione in fundo remanet, inſpicio, utrumque vel purus pulvis lapidis lazuli erit, ſi purus ille, vel lapillis & ſaxis permixtum, ſi is ſaxoſus fuerit. Porrò ſive purus ſive ſaxoſus ſit lapis lazuli, nullo planè ſapore imbuet aquam, qui ſigno eſſe poſſet perfectæ lotionis.

Verùm tanto cachinno non excipiendos eſſe antiquos Medicos puto, (modernos meliores præparandi modos nobis ſubminiſtra-

re non inficior) cum ex hac præparatione magnum in viribus oriatur diſcrimen, cum non lotum ventrem & vomitum moveat cum labore, quod non facit ablutione præparatus,ut cap. 8. videre erit.

Mitius loquitur G. Melichius, Pharmacopæus Venetus: Quamvis lotio noxas ipſius caſtiget,non tamen planè purum,atque ita, ut nihil aliorum lapidum habeat mixtum, reddat. Siquidem à lotione in fundo reſidere deprehenditur,quicquid grave eſt, non tantùm in lapide Cyaneo, ſed cæteris etiam ipſi miſtis. Diſpenſat.Med. diſt.1.pag.25.

III. *Uritur lapis lazuli* ut chalcitis. Dioſc. l.5.c.66.de uſtione autem chalcitidis l.5.c.75. Verùm de uſti ablutione nihil Dioſcorides.

Comburitur lapis lazuli,& prima aqua iterum abluitur, primùm communi,dein cardiacâ velaliâ cõvenienti. Renot.Antit.l.3.ſect. 2.c.1.Magis vero adhuc lavandus uſtus,quam crudus,ut tollatur ἐμπύρευμα. L. Joubert.in Pharmacopæâ ſect. 2. f. 468. Operum T.1. J. Haurn. meth. ad praxin l.2. pag. 318.

Lapis lazuli candeſit ſexies vel pluries, & ſemper in ſpiritu vini extingvitur; poſtea ſubtiliſſimè teritur, & materia ſaxea (bergſ) cum aqua meliſſa abluitur, (abgeſchlichtet) reſidentia exſiccatur,& cum S.V. per 3. ſeptimanas digeritur; S.V. abſtrahitur, ut ſiccus pulvis

pulvis in fundo maneat, cujus doſis â ℈ß. ad ℈j. M. Förſter. in Tartaro hypoch. p. 81. 82. Lotionem in vaſe argenteo fieri debere, putat Platear. pract. de febr. c. 5. & de ægr. cap.c. 5. & de ſimpl. med. lit. L. vel aliquo alio vaſa ſolido.

Lapis Armenus tot lotionibus non indiget, ſed ſufficit, eum bis vel ſemel lavaſſe. Platear. de febr. c. 5.

CAPUT VII.

De Cærulei præparatione ad medicinam artificioſiori.

M*Agiſterium lapidis Armeni* fit ſequenti modo: Lapis calcinatur per flores ſulphuris, hinc ſolvitur calcinatus in aceto fortiſſimo alkaliſato aut mellito. Querc. pharm. reſt.

N. Mallem equidem lotum adhibere lapidem, vel ſolutionem cum S. V. perficere, quippe vis purgatrix aciditate infringi apta eſt. J. Schröd. pharm. med. Chym. l. c.

Magiſterium lapidis lazuli fit eodem ferè modo: Lapis calcinatur cum 🜍re, ſolvitur cum aceto vini optimo, hinc præcipitatur cum ol. ♀i. Querc. pharm. reſt. & ex eo J. Schröder. l.c.

Magiſteria enim gemmas & lapidum durio-

duriorum ita præparari, ut nimirum cum floꝛib. Kibric. calcinentur, poſtea in aceto Alkaliſato aut mellito diſſolvantur, per chartam emporeticam omnis materia trajiciatur, & cum oleo vel ſale Tartari præcipitetur, deniquè edulcoretur, ſcribit L. Hofman de v. uſu & f. abuſu med. Chym. pag. 74.

Elixir lapidis lazuli: Calcinatur lapis lazuli in fornace laterum, deinde aqua vitæ ſolvitur calcinatus. B. à Boodt de lap. & gemm. l. 2. c. 121. J. Schröder. l. c. Ol. Worm. Muſei l. 1. ſect. 2. c. 9. ex L. Ficravanto.

Clariorem deſcriptionem mihi communicavit Collega noſter venerandus, D. D. Sachus à Lewenheimb. ℞. lapis lazuli pulveriſat. abſtrahe ab eo ſepties S. V. & rurſus inde S. V. digere per 10. dies, abſtrahe, tandem urge vehementer △, mutato recipiente, ut pars volatilis lapidis tranſeat, remanentiæ affunde priorem S. V. rurſus digere, ſic lapis lazuli tandem totus tranſit ✕✕cum. Dos. gr. xv. xx. in melancholiâ, calculo & morbis ♀reis.

Tinctura lapidis lazuli: Lapis cum aquâ ſuper marmore lævigatur in pulverem ſubtiliſſimum: ſiccatum denuò fere in pulverem impalpabilem. Poſt recipe picis Græcæ ℥iij. reſinæ piceæ ℥ij. maſticis ℥iij. thuris ℥iij. ol. olivar. ℥ij. In tigillo calefac. ol. oliv.

cui

cui poſtea adde reſinam,picem, thus & maſticen,cum ligneo bacillo probè miſce. Lapidi præparato in alio tigillo parum excalefacto ſuperfunde mixturam jam dictam, & optime agita,ſine quieſcere per hores 24. poſt ea ſuperfunde aquam ferventiſſimam, agita benè, ſine infrigidari, tunc aqua apparebit cæruleo viridis,effunde,&aliam aquam ferventem affunde, usque dum tinctura extracta ſit. Aquas tinctas evapora usque ad mellis conſiſtentiam,&habebis optimam tincturam, ex quâ cum S.V. *Eſſentia* extrahi poteſt J.Agric. obſ.in Popp. part.2.pag. 750.

Ad eundem ferè modum *Magiſterium lapidis lazuli*, rejectâ præparatione per lotionem, uti cap. præcedente dictum, parat J. Zwelferus, de quo ita: Teratur lapis lazuli cæruleus & optimæ notæ ſupra porphyriten, (& non alium aliquem lapidem)ſubtiliſſimè quantum fieri poterit, cum oleo lini vel etiam aquâ ſimplici, qui iterum ita oleo permixtus reponatur : poſtea fiat emplaſtri maſſa talis, ℞. ceræ citrinæ, picis Græcæ vel colophoniæ,reſinæ pini ana ℔j. olei lini ℥iij terebinthinæ ℥iiij. liquefiant ſupra ignem & colentur, quibus adde maſtichis electæ ℥iiij. Fiat maſſa. Hujus maſſæ accipe partes circiter tres vel quatuor,lapidis ſuperius ſubtiliſſimè cum ol. lini lævigati, partem

tem unam, miſceantur in patellâ, & commixta ſeptimanam unam vel alteram relinquantur veluti in digeſtione, poſtea aquâ calidâ, vel ſi hâc ſuccedere nolit, ferventi, malaxando & agitando ſpatulâ maſſam, eluatur pulvis lapidis lazuli ſubtiliſſimus inſtar Magiſterii, qui pulcherrimo cæruleo colore imbuet aquam, (quam colare oportet in patinam) & poſtquam lapis lazuli reſederit, aqua decantanda, & pulvis ſubtiliſſimus impalpabilis ac pulcherrimus exſiccandus eſt.

Nota autem, quod qui primò eluitur lapis vel pulvis, pulchrior ſit in colore & ſubtilitate ſecundo, & hic tertio, ac ſic conſequenter, ideò ſeparatim ſinguli aſſervandi erunt. Priorem illum pulverem, *ultramarinum* dictum, pictores Veneti, qui illum parare ſoliti ſunt, & à quibus hunc modum addidici, non ſine expenſis, magno olim vendidere precio, nunc autem poſtquam ejus præparatio pluribus innotuit, minori precio venit. Animadverſ. in Pharm. Aug. claſſ. 20. f. 413. primæ edit. Huic dexteriorem modum ſubnectit in Appendice ad Animadverſ. f. 51.

Quem eundem proceſſum ante Zwelferum etiam deſcripſit B. à Boodt de lap. & gemm. l. 2. c. 141. Recipe lib. 1. lapidis in tenuiſſimum pulverem redacti, ac cum aqua

clarâ

clarâ ad porphyrium triti,& impone ſcutellæ vitreatæ, donec pulvis in umbrâ exiccetur, quem iterum ſi in maſſam coierit, in pulverem redige. Deinde habeas in promptu picis Gr. ℥iij. reſinæ pini ℥iiij. maſticis ℥iij. thuris ℥iij. ol. olivar. ℥j. Patellam vitreatam ſupra lentum ignem pone, ac primò imponas oleum, & cum benè calidum erit, adde reſinam, poſtea picem, deinde thus ac poſtremo maſticen, ac move optimè: poſtea alteri ſcutellæ infunde & bulli parum. His peractis habeas ad manum aliud vaſculum, in quod pones ſiccum lapidis pulverem, cui affundes unguentum dictum paulatim, movẽdo ſpatulâ, ut bona fiat mixtio. Tum relinque per diem mixturam, & cum auferre vis colorem, funde ſupra paſtam aquam bullientem, ac move & agita optimè materiam, & cum aqua incipit refrigerari, ejice, ac aliam calidam affunde, idque fac donec aqua colorem trahat, atque repete toties, donec omnẽ colorem extraxeris. Singulas extractiones ſeparare potes, ut diſtinctos colores habeas. Si color ſpurcitiem contraxiſſe videatur, ita reſtitues. Tantum aquæ tartari adjice colori, ut ab aquâ tegatur, ſine per diem, poſtea aquâ limpidâ colorem ablue, & habebis mundatum.

Præparabis lapidem ad dictum opus, hoc

 modo:

modo: Dum in fruſta fregeris, vaſculo impone ac ure. Deinde lava cum aceto, ſic ſupererit optima pars, quæ igni reſiſtit.

Vide etiam G. Fallopii Secretor. l. 3. t. 66. ſ. 1. G. Melichium Diſp. med. diſtinct. 1. pag. 25. Operoſiorem præparationem magiſterii lapidis lazuli, (ut vocat Zvvelferus) vel coloris ultramarini, fuſius deſcribit prædictus B. à Boodt l. c. c. 113. & ſeqq. J. J. Wecker. de Secretis l. 16. c. 6. ex Alexii Pedemontani de Secretis l. 5. p. 194.

Jo. Coſta hunc modum commendat: Uritur lapis lazuli fictili vaſe, crucibulum vocant, ut fictile candeat. Tunc in vas aliud, in quo humanum ſit locium recens aut acetum, invertitur. Fitque hac ratione friabile. Abluitur dehinc frigidâ & purâ aquâ. Atque exſiccatum teritur æneo mortario & tabulâ porphyritide ad levorem, paratoque ex maſtiche, terebinthinâ, colophoniâ & propoli paſtillo ſolidiori & qui non diffluat, totus in paſtillum colligitur lapis. Tum injectâ in lateritiam ſcutellam ampliorem vitro incruſtatam tepidâ aquâ, paſtillus quoque in eandem injicitur, & manu parumper tractatur. Rurſum affusâ in aliam ſcutellam tepidâ aliâ, atque pertractato in eadem ut prius paſtillo, ad tertiam ſcutellam & quartam, & deinceps ſi libet ad deci-

mam

mam redis, ac ſervatâ ſingulis in ſcutellis aquâ in quibus paſtillum tractaſti, videbis ſubſidere cyaneum lapidem, puriorem in ſecundâ ac tertiâ & deinceps ultimâ; cæteræ enim ſordes, quæ lapidi inerant, paſtillo inhærent. Effunditur tùm inclinato leviter vaſe ſingulo, aqua, & quod ſubſedit, colligitur, deſiccatur & ſervatur. Pulcherrima hæc eſt abluendi & parandi hujus lapidis ratio, quam ſequi pharmacepæos velim: neque enim iis aſſentiri poſſum, qui marmoreâ tabulâ tritum ita ſordidum in paſtillos confingunt. *Annot. in Meſue Antidotar. diſt. 1. de Electariis, fol. 107.*

J. B. Birellus paſtillos vel globulos format ex reſinâ pini, (non ligno, uti Uffenbach. vertit, fichten holtz: debebat enim audire fichten hartz) terebynthinâ, pice Græcâ, maſtiche, cerâ, cum oleo lini; poſtea colorem ex lapide lazuli immixto eluit ut jam dictum, in Alchymiâ novâ, vertente ex Italicâ in Germanicam Uffenbacchio l. 11. c. 83. 84. 95. 102. modum vero calcinandi lapidem deſcribit c. 80.

Primus color videtur eſſe craſſior, & ſolidior; ſecundus ſubtilior, ſed in colore ad primum non accedit; tertius iterum ſubtilior, ſed multum remittens de cæruleitate. J. B. Birell. l. c. c. 81. B. à Boodt l. 2. c. 143.

Notandum etiam, quod è ſingulis libris optimi lapidis lazuli uncia tantùm una amittitur, remanentque undecim, nimirum perfecti ℥v. medii iij. ultimi itidem iij. Puri atque optimi uncia, ut minimum duobus coronatis cum dimidio æſtimatur: medii uno: ultimi tertiâ coronati parte. Alex. Pedem. l. c. pag. 196.

Tinctura lapidis lazuli Magnif. & Excell. Dn. D. Joh. Michaëlis, Prof. Lipſienſis, fit ex lap. dicto calcinato cum ſpir. ☐ extracto.

Alia *Tinctura lap. lazuli* quam parare ſolet Nob. & Excell. Dn. D. Sachſius noſter, ℞. flor. ✱ (qui parentur & cineribus puris p. iv. ✱ p. j. invicem & ♎atis) Alcobol vini Hiſpan. āā. part. aq. M. & habebis poſt digeſtionem menſtruum, quod ſuperfunde lapidi lazuli ſaltem ſubtiliter trito, & ſtatim extrahit modico in calore ſpatio dimidiæ horæ Tincturam cæruleam.

Magiſterium lapidis lazuli. ℞. tincturam modò dictā, infunde tantum ſpir. ⊕li, donec non amplius efferveſcat, & tinctura mutata ſit in aquam viridem, quam ſuper modicum calorem pone, ut ſpir. & aquoſitas exhalent, & habebis magiſterium, vel ſi magis lubet appellare *præcipitatum lapidis lazuli.* Eſt coloris viridis, in calore fluens inſtar ceræ, in frigore conſiſtens inſtar butyri. Hoc magiſte-

giſterio Medicus mihi (D. Sachſio) notus, delirioſum per 3. menſes à philtro reſtituit, ut quintâ ejus exhibitione liber ab affectu remanſerit.

Eſſentia ſeu Extractum lapidis lazuli: ℞. lapidis lazuli q. pl. igniatur ſexies vel ſepties, extinguaturque in S. V. Eodem in pulverem redigatur, & cum aquâ meliſſæ ipſius recrementa terrea eluantur (abſchliechen) redigantur in pulverem tenuiſſimum & cum S. V. digerantur in calore ſeptiman. 3. vel 4. dein abſtrahatur S. V. & remanentiam ſerva. Doſis à ℈ß. ad ℈j. Hartmann. Pract. Chym. pag. 32. & ex hoc J. Schröder. pharm. med. Chym. l. 3. c. 8.

Methodum extrahendi ex omnibus lapidibus (ita & ex lapide lazuli) quintam eſſentiam, ex P. J. Fabri dedi Sched. de Aëtite c. 5. pag. 55. 56.

Cryſtalli purgantes lapidis lazuli: Calcinetur forti igne, donec albeſcat, teratur in marmore, bulliat in 5. q. 🜄 per 5. aut 6. horas. Decantatum 🜄 injiciatur in vas fictile non vitreatum, ſtrictique orificii, 5. aut 6. unciarum capax, os teſtæ cerâ occludatur, reponatur in cellâ, & transſudabit lanugo cryſtallina intra paucos dies, vaſique teſtaceo adhærebit, hanc collige, aliam expecta.

Dicitur hoc *ſal ſive flos lapidis lazuli* acuere

panchymagogi vel aliorum extractor. vires, ſi illis permiſceatur. J. Schröder. pharm. med. Chym. 3æ. ed. l. 3. c. 8.

Olei ex lapide lazuli ex Fieravanto mentionem etiam fecit B. à Boodt l. c. c. 121. Ol. Worm. l. c. ſed deſcriptionem neuter addit: nec ego in Fieravanti ſcriptis invenire poſſum. An præparetur ut oleum ex hæmatite? de quo lapides Hæmatite c. 8. p. 151. vel magiſterium per præcipitationem paratum in cellâ reſolvitur in liquorem? de quo L. Hofmann l. ſupra c. pag. 75.

Ex lapide lazuli ſublimatione primum ens auri extraxit Joach. Polemann Nov. lum. medic. c. 10. pag. 105.

Compoſita ex lapide Armeno & lazuli, vide cap. ſeq. Denique vires ſuas communicat Cæruleum quibusdam aquis medicatis naturalibus vel acidulis, ut Dainacenſibus in Ducatu Würtenbergico, inter oppida Zabelſtein & Pulach, ad pagum Dainach ſitis, quæ præcipuam efficaciam fortiuntur à lapide lazuli vel Armeno ex fodinis vetuſtis Pulacenſibus. (quos lapides quidam pro floribus lunæ habent) quas præterlabuntur. J. Th. Tabern. Hydrotheſ. part. 1. c. 80.

Quædam etiam aqua lapidem lazuli & lapidem Armenum ſolum, absque aliis mineralibus vehunt, quæ hanc ob cauſam intra

corpus

corpus non ſunt ſumendæ. Tabern. l. c.part. 2. c. 37. & 38.

Tales aquæ Lazurinæ ſunt Veltris in Italiæ Marchiâ Treviſanâ: L. Thurneyſſer Piſon. l. 7. c. 74.

In Italiâ 50. ſtadiis ab Orſana (Orzano in Marchiâ Anconitanâ) quæ influit in fluvium Garigliano: Thurneyſſer.ibid.

In Angliæ Walliâ, non procul à civitate Hervord. Thurn. ibid.

In Serviâ propè urbem Moſtar, quæ in fl. Buniza influit. Idem ibid.

Duobus milliaribus à Saltzburgo verſus Villacum. Idem.

In ſylvâ Thuringicâ inter Schmalkaldiam & Tete, qui rivulus cum fl. Ilm, qui in ſylvâ Thuringicâ oritur, Vinariam præterlabitur, & juxta Amb. ſupra Naumburgium in Salam influit, conjungitur, Idem ibid.

CAPUT VIII.

De viribus Cærulei nativi.

PRæparationem vires lapidum Armeni & lazuli immutare, c. 6. dictum.

Quoad qualitates primas; *lapis Armenus calefacit & ſiccat in principio ſecundi ordinis.* Meſue ſimpl. l. c. c. 13.

Lapis cyaneus calefacit ordine ſecundo, ſiccat ter-

tio, vel etiam tertio calefacit, Humain: *acer eſt cum paucâ ſtypticitate*. Meſue ſimplic. l. c. c. 14. calidum Azuli in ſecundo, ſiccum in tertio. Avic. l. 2. can. tr. 2. c. 57.

Cyanus acrem vim habet, participat & adſtrictoriá. Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 58.

Platear. uno capite *lap. Armen. & lazuli* in uno gradu ponit: Sed *frigidum & ſiccum* eſſe dicitur, de ſimplic. medic. lit. L. fol. 91.

J. Guint. Andern. *lapidem Armenum & Cyaneum, frigidos in primo, ſiccos in ſecundo gradu* eſſe ſcribit: de med. vet. & nov. comm. 2. dial. 5. f. 200.

Ab his diſſentit, ſed malè, Joh. de Vigo, dum ſcribit, *Lapis lazuli* eſt *frigidæ & humidæ complexionis*; Pract. l. 7. pag. 606.

Lapis lazuli lotus neque calefaciendi neque ſiccandi vim validam habet, ſicuti nec amaritudinem, aut inſuavem aliam qualitatem. A. Trall. l. 1. c. 16.

Quoad ſecundas qualitates, *tergent, incidunt, urunt, ulcerant, exedunt, putrefaciunt*. Avic. l. 2. can. tr. 2. c. 57.

Hinc inter cauſtica cauteriavè potentialia refertur lapis lazuli à Fallopio, oper. T. 1. de cauteriis c. 11. inter pyrotica. C. Bartholin. de cauteriis c. 14.

Cæruleum cauſticis adjicit Plin. l. 33. c. 13.

Quoad

Quoad tertias qualitates, *vomitum movent, menſes cient, calculos frangunt.*

Quoad qualitates occultas, & *lapis Armenus & lapis lazuli* (de his enim cærulei nativi ſpeciebus præcipuè agimus) *vacuat expurgatque melancholiam & atram bilem.* Meſue ſimpl. l. c. c. 13. & 14. A. Trallian. l. 1. c. 16.

Armenium potum purgat atram bilem: quod tradunt Græci juniores & Mauri. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 21. atram bilem, & quicquid craſſum & tenax commixtum ſangvini eſt. Aët. tetr. ſ. c. Serapio Pract. tr. 7. de antid. c. 13. & ſimpl. c. 389. melancholiam vehementer educunt lapis Armenius, lazuli. Georg. Horſt. pharmac. exerc. 6. §. 12.

Lapis lazuli ſolutione educit melancholiam, & quicquid ſangvini eſt commiſtum, in quo eſt groſſitudo. Avic. l. 2. can. tr. 2. c. 57. purgat principaliter melancholiam. Platear. de ſimpl. med. lit. L. c. 3. f. 51. lapis lazuli purgat melancholiam, & eſt vehementis purgationis & timoroſæ. Averſ. ſimpl. c. 43. lapidis lazuli virtus omnium paſſionum à melancholiâ generatarum eſt juvativa. Joh. de Vigo Pract. l. 7. pag. 606. lapis lazuli & ipſe atræ bili mirè adverſatur. A. M. Braſav. ex ſimpl. p. m. 744.

Lazulus eandem vim habet, quam lapis Armenus. Serap.

J. G. Andern. de med. v. & n. comm. 2. dial. 5. f. 247. ambo hi lapides iisdem pollent facultatibus. Matthiol. l. 3. epiſt. f. 116. utrique iisdem ferè viribus præditi ſunt ad atram bilem dejiciendam. Idem, comm. in Dioſc. l. 5. c. 66. rectè exiſtimari poteſt, pari ferè facultate, vel non admodum diſpari hoſce lapides eſſe præditos. Id. ibid. Revera viribus ſunt paribus etſi efficacioribus judicetur Armenius. B. Deſſen. Cron. de med. l. 5. p. 498.

Meſue licet Armenum à lazulo diſtingvat, non tamen virib. admodum differentes diſtingvit. J.B. Theodoſ. epiſt. 55.

Nos, cum ex ſcriptis veterum conſtet, easdem penè vires ineſſe huic lazulo atque antiquorum Armeniaco pictorum, ſuſpicamur lazulum congenerem eſſe. H.Soler. in Aëtii tetr. 1. ſ. 2. c. 58. & 47.

Virium affinitate cognationem habent. pharm. Aug. cl. 4. in Diaſena Nicolai.

Sed atram bilem *lapis Armenus valentius purgat, quam lapis cyaneus*. Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. & tutius, quam elleborus albus. A. Trall. L. 1. c. 16. non elleborus niger, ut legit Meſue antiqua tralatio. Quamvis Serapio ex Joanne Medicos noſtri temporis recedere ab elleboro nigro propter vehementiam, & loco ejus lapidem lazuli eligere, ſcribat,

Pract.

Pract. tr. 1. c. 22. Hinc ſcribit Avicenna; Adminiſtræ helleborum (in melancholiâ) & apoſtem. cerebri melanchol. cum timore & cautelâ, & lapidem lazuli & lapidem Armenum, & pilulas factas ex eis ſine timore & cautleâ. l. 3. Fen. 1. tr. 4. c. 20. & * l. 3. Fen. 1. tr. 1. c. 29. duos elleberos nigrum melancholicis, & album phlegmaticis, cum cautelâ & timore, & lapidem lazuli & lapidem Armenum absque cautelâ & timore.* Et; ſolvendo educit melancholiam lapis Armenus fortius, quam lapis Azuli, & jam contenti ſunt eo, & dimittunt elleborum nigrum, propter illud quod inveniunt in eo ad ægritudines melancholicas. l. 2. Can. tr. 2. c. 417. Lapis Armenus convenit viribus cum lapide lazuli, ſed fortius easdem exercet. Avic. canon. l. c. c. 417. J. G. Andern. l. c. f. 248. Virtus ejus lapidis lazuli eſt *ſicut virtus ejus, quo adhæret aurum*, & debilior eo parumper. Avic. l. 2. can. tr. c. 57. Virtus *lapis lazuli* eſt ſimilis virtuti *glutinis auri*, niſi quòd ipſe eſt debilior eſt. Serap. ſimpl. c. 389.

Quamvis autem vis lapidis lazuli purgans vetuſtioribus Græcis medicis (Dioſcoridi, Galeno, Æginetæ) ignota fuerit, ſecundum J. Coſtam in Meſuen de ſimpl. l. c. c. 14. J. B. Theodoſ. epiſt. 55. J. G. Andern. l. c. & Arabum adverſarii (inter quos eſt Fuchſius

in

in paradoxis) contendant, *lapidem lazuli perperam, & magno mortalium damno exhiberi*, quem Meſue ulcerativum & putrefactivum eſſe teſtatur: J. Coſta & J. Manard. in Meſue l. c. & Menard. l. 15. ep. 3. N. Leonicenum ſcribere, lapidem hunc *non minus eſſe noxium & lethalem, quàm minium*, quod à nonnullis cinnabaris vocatur, Græcis μίλτον: B. Montagnanam conſ. 302. *lapidis lazuli uſum periculoſum exiſtimare, quia ſæpè alchimiſticus* cum quibusdam rebus venonoſis factus eſt, in quo medicus decipitur: Ant. Guainerium lapidem lazuli non ablutum *venenum eſſe* dicere, in lib. de venenis: lapidem Armenum non probè lotum *inter venena veteres referre*, B. A. Abbat. de viperæ naturâ c. 30. Matthæum de Gradibus, autoritate Rebi rejicere uſum lapidis lazuli & Armeni, *propter fortitudinem* eorum: Avenzonſem de iis dubitaſſe, idcircò laudaſſe uſum aliarum medicinarum, magis ſecurarum, ut epithymi, polypodii, ſenæ, myrobal. & hujuſcemodi: quos omnes pro ſe contra Arabes, ad infames reddendos lapides Armenum & lazuli, citat J. B. Theodoſ. epiſt. 55. lapidem lazuli *eſſe ſignanter periculoſum & verendum*. Avic. Cantic. part. 3. §. 12. qualitercunque abluatur, *multùm nocere, ac tandem lædere plurimum*. Simphor. Campeg. in epiſt. Manardi l. c. Armenium

nium lapidem, quamvis diligenter lotum, non propinari poſſe etiam robuſtiſſimis viris, *quô minus perturbet, & violentas moveat vomitiones & alvi dejectiones*, ſcrupuli vel ſemidrachmæ pondere hauſtum. Matthiol. epiſt. l. 4. f. 158. pilulas lapidis lazuli *non ſine vitæ periculo dari*: J. B. Theodoſ. pilulas de lapide lazuli vituperari non ſine ratione: minus convenienter, & tutò in forma illâ (pilulari ſcilicet) dari, quia cum ſit *medicamentum quod cruſtas faciat*, diu retineri in ventriculo non debeat, Rondel. in off. pharm. Lobelii f. 88. ſcammonium in pilulis ex lapide Armeniaco ſtatim expellere è corpore lapidem Armenium, ne longâ morâ (corrodendo & urendo ex Arabum & Græcorum ſententiâ) noxius ſit. Lobel. in pharm. off. Rondeletii f. 88. Cratonem in melancholiâ nunquam lapide lazuli uſum eſſe: conſ. Scholz. 174.

Veruntamen non tanti momenti hæc ſunt, ut aliquem deterrere valeant ab uſu harum cærulei nativi ſpecierum, præſertim, ut decet, præparatarum.

Non enim quod medicis Græcis lapidis lazuli vis purgans ignota fuerit, ideò rejiciendus. Tametſi receptiones nonnulli (ſcribit J. Coſta annot. in Meſ. de ſimpl. l. c. c. 14.) Galenum hujus rei non inſcium ob id faciant, quod 9. de ſimpl. med. fac. καθαιρετικὴν

δύναμιν huic aſcribat. Quantusque non explicaſſe Galeno, che ſolvere l' humor malinconico, diſſe però che era ſolutivo ò purgativo. Matthiol. Diſcorſi nall Dioſcoride l. 5. c. 65. & ex hoc Fr. Sanſovino delle mat. med. l. 2. p. 251. & 252. Galenus etſi non explicuerit cæruleum atrabiliarios humores ducere, tamen ſcripſit, dejicientem habere facultatem. Matth. in Dioſc. l. 5. c. 66.

Tamen, ut probè ante nos, (pergit J. Coſta) alii quoque adnotarunt, quum *καθαρτικὰ* purgatoria ſint medicamenta, *καθαιρετικὰ* non hæc ſunt, ſed quæ ſuperficiem deradendi vim habent. Debemus ergò hoc Arabibus.

Etſi vetuſtioribus Medicis Græcis lapidis Armeni & lazuli vis purgans ignota fuit, recentiores tamen, quos ſupra nominavimus A. Trallianus, Aëtius, Actuarius, eam optimè noverunt. Multa enim veteres latere potuerunt, quæ poſteri per veſtigarunt & invenerunt; præſertim Arabes, qui multa ſcripſerunt, quæ Græci veteres ignorarunt. Quid quod dies diem docet?

An autem perperam & magno mortalium damno exhibeantur hi lapides; & qualitercunque abluti multùm noceant ac lædant; & pilulæ è lapide lazuli non ſine vitæ periculo dentur, in ſequentibus patebit, & maximo

ximo cum fructu hæc oblata fuiſſe, & etiamnum offerri & uſurpanda proponi demonſtrabitur, tùm autoritatib9, tùm experimentis doctorum virorum.

Crato quamvis lapide lazuli non ſit uſus, abſque tamen noxâ exhibuit lapidem Armenum, earundem (in purgando etiam fortiorum) cum lapides lazuli virium.

Comparationem in noxiâ lethalique qualitate lapidis lazuli cum cinnabari, non procedere puto. Ut enim cinnabaris (ſi mineralem vel nativam, non artificialem, quæ ex mercurio paratur, intelligit Leonicenus) minimè noxia & lethalis, ita nec lapis lazuli.

De Alchimiſtico lapide lazuli nos non loquimur, ſed de minerali ſeu nativo.

Lapidem lazuli non ablutum vim ulcerandi, exedendi, putrefaciendi habere, cum autoribus jamjam citandis ultrò concedimus: inter venena tamen cum Sennerto Pract. l. 6. part. 6. c. 8. non ſimpliciter numeramus, ſed inter purgantia ſaltem fortiora, quæ omni malignitate non carent.

Non ego his acceſſerim, qui non ſecus ac perniciosiſſimum venenum hunc formidant. J. Manard. in Meſue ſimpl. l. c. Mirandi ſunt iſti, qui ejus uſum non errorem levem, ſed pernicioſum putant, ac proinde

non

non aliter, quam præſentaneum venenum, formidant. B: Deſſen. Cron. de comp. med. l. 5. p. 498.

An igitur propter fortitudinem non exhibendi lapis lazuli & lapis Armenus, quod fecit Matth. de Gradibus, Avenzoar, Crato, alii, videatur Sennert. Pract. l. 1. part. 2. c. 11. ubi, an & quando humor melancholicus fortioribus purgantibus evacuandus, optimè deducit.

Pulveriſatum igitur ſolùm, ſed illotum cæruleum nativum vomitum movet, & ventrem, & cum labore: Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. A. Trallian. l. 1. c. 16. Heurn. meth. ad praxin. l. 2. p. 318. per inferna ventrem purgat lapis Armenus, ſed *cacoſtomachus, ſtomacho nocet.* P. Ægin. l. 7. c. 3. Si datur non ablutus, *facit vomitum.* Serap. pract. l. 7. de antid. c. 13. & ſimpl. c. 389. lapis Armenus non ablutus *facit nauſeam, & in diſpoſitionibus eſt malus ſtomacho.* Avic. l. 2. can. tr. 2. c. 417. Non lotus cum infernis ſuperiora *non citra magnum laborem* commovet. Fr. Rucus de gemm. l. 2. c. 21. Melancholiam *cum malignitate* ducunt lapis Armenus, lapis lazuli. Edm. Hollyng. med. œc. c. 15. p. 290.

Doſis lapidis Armeni à ʒß. ad ℥iß. Meſue l. c. à ℈iij. ad 4. A. Trall. l. 1. c. 16.

à ʒß. ad ʒj. Sennert. Inſtit. l. 5. part. 3. ſect. 1. c. 5. Doſis

Doſis lapidis lazuli grana quindecim : Heurn. l.c. à ℥ß. ad ℥j. Sennert. Inſt. l. c. à 4. Kirath uſque ad ℥j. mixtus cum aliis medicinis laxativis. Serap. ſimpl. c. 389.

Lapis lazuli acrimoniâ *urit, ulcerat, putrefacit, terget, incidit.* Dioſc. l. 5. c. 66. Avicenna. Meſue de ſimpl. l. c.c. 14. Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 47. & 58. Serapio ſimpl. c. 389.

Sed quod de viribus ulcerandi, exedendi hi dicunt, id intelligendum eſſe, dum foris adhibetur, ſcribit J. Manard. in Meſue l. c. non ubi devoratur: J. Coſta annot. in Meſue l. c.

Quid quod vis hæc etiam ablutione decente & diligente auferatur: Matth. comm. in Dioſc. l. 5. c. 66. Fr. Sanſovino delle mater. med. l. 2. p. 252. Zacut. Luſ. med. princ. hiſt. l. 2. hiſt. 28. pag. m. 310. 311.

Fit talis lotura, ne minimâ ſiccitate vulnerentur inteſtina. Platear. pract. de febr. c. 5. & de ægr. cap. c. 5.

Hinc etiam aquæ Lazurinæ & lapid-Armeniæ puræ ſeu ſimplices, & quibus nulla alia mineralia admixta, quod corroſivæ ſint & exedentes, vomitum moveant, pulmones, ventriculum, aliaque interna viſcera lædant, intra corpus ſumi minimè debent, nec absq; damno poſſunt. Externus tamen uſus proficuus eſt, ut in ſequentibus patebit. Si verò lapis lazuli aliis mineralibus miſceatur, ut in

acidulis Dainacenſibus, cum inſigni effectu uſurpari poteſt. J. Th. Tabern. Hydrotheſ. l. 1. part. 2. c. 37. & 38. & l. 1. part. 1. c. 80.

Verùm P. Caſtell. epiſt. med. 10. pag. 225. lápidem lazuli crudum minimè erodentem eſſe aſſerit, cum pulvis carni impoſitus & triduò geſtatus, nihil penitus cutem læſerit, imò neque etiam ulceri impoſitus quicquam ſenſibile induxerit: verùm uſtione demum vim rubefaciendi cutem acquiſiviſſe; quam tamen lotione iterum amiſerit.

Pulveriſatum cæruleum nativum, ſed lotum, (eô quô ſupra cap. 5. dictum modo) *alvum ducit ſolùm, & citra moleſtiam* : Meſue l. cit. Heurn. l. c. *absque periculo & moleſtiâ*: A. Trall. l. 1. c. 16. *absque torminibus*; A. M. Braſſav. tr. de purgantibus. *ſine noxâ* : Jul. Alexandr. conſ. Scholtz. 175. in compoſitiones redactus lap. laz. *modeſtiſſimè & absque aliquâ noxâ* educit, niſi quis copiam voraret. A. M. Braſav. ex ſimpl. pag. m. 733. lapis Armenus ablutus *non facit nauſeam.* Avic. l. 2. can. tr. 2. c. 417. lapis lazuli lotus *aufert virtutem nauſeativam:* J. de Amando expoſ. in Nicolai Antidotar. f. 237.

Lotione ſervat vim ſolutoriam: aduſtione amittit. J. Guint. Andern. de med. v. & n comm. 2. dial. 5. f. 249.

Potus ejus commovet nauſeam & vomitum: ſed ablutio ejus removet hoc ab eo. Serap. ſimpl. c. 389.

Ad

Adminiſtra & lapidem lazuli & lapidem Armenum, & pilulas factas ex eis *ſine timore & cautela*. Avic. l. 3. Fen. 1. tr. 4. c. 20. & l. 3. fen. 1. tr. 1. c. 29.

Experientiâ certâ ſcio, quod ſi benè abluatur, *multum juvat, & vel nihil, vel parum lædit*. J. Manard. in Meſue de ſimpl. l. c. 14. Fr. Sanſov. della mat. med. l. 2. p. 252.

Cyaneus lapis in melancholicis affectibus, ſolutu ſcilicet contumacibus, ubi mitiora deſunt, uſu venit: is verò adeò caſtigatus, ut quum *plurimum conferat, nihil tamen obſit*, id quod frequens experimentum confirmat: J. Coſta annot. in Meſue l. c.

Erit itaque innoxius (lap. laz.) ſi perquam diligenter teratur, & poſt abluatur, (nam ſic facultatis malignitas aufertur) tantum abeſt quicquam lædat, ut etiam luculenter, in atrâ bile purgandâ conferat. B. Deſſen. Cron. de comp. med. l. 5. p. 499. & l. 4. p. 439.

Si alvus ducenda eſt, lapis Armenus contereretur, lavabiturque J. Guin. Andern. l. c. f. 247.

Sunt autem purgantia in tertii gradus tertiâ manſione. Sennert. Inſtit. l. c. Doſis lapidis Armeni, lazuli, ponitur cum doſibus ſolutivarum in tertio gradu, cum ſunt loti, & cum non ſunt loti, ponuntur cum doſibus ſolutivarum in quarto gradu primi ordinis. Gentil. Fulgin. de doſi medic. f. 271.

Corrigendi autem ſunt hi lapides medicamentis cordialibus, ut bugloſſo, oſſe de corde cervi, cort. citri. Sennert. Inſtit. l. 5. part. 1. ſ. 1. c. 11.

Doſis lapidis Armeni loti à ℥j. ad ℥ij. Meſue l. c. c. 13. à ℥j. ad ℈iiij. exhibet absque noxâ Crato: Ol. Worm. Muſei l. 1. ſ. 2. c. 9. Teſtari de lapide Armeno verè licebit, exhibitum aliquibus fuiſſe ſine noxâ ad drachmam usque vel ſcrupulos quatuor etiam. Jul. Alexandr. conſ. Scholtz. 175.

à ℈v. ad ℈vj. A. Trallian. l. 1. c. 16.

ad ℈iiij. vel ℥iß. Sennert. Inſtit. l. c. Jul. Alex. l. c.

Doſis lapidis lazuli loti à ℥j. ad ℥iiß. Meſue l. c. 14. drachmam nunquam exceſſi, & ſemper profuit. A. M. Braſavol. l. c.

Lapidis lazuli & Armeni ℥ij. poſſunt dari. Platear. de ſimpl. med. lit. L. c. 3. fol. 92.

Inter purgantia referuntur lapis Armenus & Cyaneus, quamvis id ſegniter præſtare nonnulli ſcribant. J. Guint. Andern. de med. v. & n. l. c. f. 200.

Inter ignava purgantia refert, & quæ ex catalogo purgantium expungenda, Joann. Walæus meth. med. p. 43.

Quid igitur dicendum, quod alii ob nimiam purgandi vim planè exterminatos volunt prædictos lapides; alii ob inertiam in purgando omninò rejiciunt? Dice

Dicerem ego, non præparatos vehemens eſſe medicamentum, præſertim in ciendis vomitibus: præparatos, lotione videlicet, ſegnes eſſe, niſi illis purgãtia alia, ſtimuli quaſi loco, addantur. Quod etiam obſervatum in omnibus ferè compoſitionibus, quas ingrediuntur. Hinc A. Trallian. l. 1. c. 16. lapidi Armeno picræ aliquam inſignem partem admiſcet, aut etiam ex aliis quibusdam, quæ purgationem magis promoveant & non renitantur. Meſue de ægr. cer. c. 7. in pilulis de lapide Armeno, lapidi Armeno ſcammonium pilulis de lap. laz. ſal. gemmæ & ſp. hieræ ſimpl. aliis alia ſtimulantia aſſociat. Quin etiam doſis oſtendit, lapides hos lotos ſegniores eſſe illotis.

Doſes autem compoſitarum medicinarum ſingulis additas videbis.

Cæruleum nativum (*ut lap. Armenus & lap. lazuli*) *combuſtum, vim ſolutoriam amittit*: nam ignis acres tenuesque partes exhaurit: acria enim ſi urantur, acrimoniam amittunt: ſin ea, quæ acria non ſunt, uſtionem experiantur, illam acquirent. J. G. Andern. l. c. f. 247. Heurn. l. c.

In confectione alkermes uritur lap. laz. ut pereat purgatoria qualitas, remanente cardiacâ. Renod. Antid. l. 2. ſ. 1. d. 11. & ſ. 4. c. 14. & l. 3. ſ. 2. c. 1. J. G. Andern. l. c. f. 249. vide infra in hoc capite.

 Videa-

Videamus jam ſpeciatim, quos affectus hi lapides, Armenus nimirum & lazuli, extirpent, diverſimode præparati. Melancholicos etiam atrabiliarios humores evacuare, ſupra in principio hujus capitis dictum.

Hinc ingreditur *lapis Armenus lotus* compoſitionem *pilular. de lap. Armeno*, apud Meſuen de ægrit. cerebri c. 7. A. Trallian. l. 1. c. 16. J. G. Andern. l. c. f. 248. & dial. 7. f. 510. Antidotar. Roman. pag. 106. quarum doſis ℥j. ℈iiij. *pilul. melanpodis J. Langii* l. 3. epiſt. 1. c. 8. quarum doſis ℥j. *pilular. univerſalium* J. Langii l. c. quarum doſis ℥j. *Pulverem Guainerii*, qui nunquam ſe ejus uſu deceptum ait: ℞. lapidis Armeni. ℈ij. croci gr. x. macis ℈j. ſumat in aqua ſaccharatâ quantum ſatis.

Lapis lazuli lotus, pilulas de lapide lazuli: Serap. pract. tr. 7. de Antid. c. 17. J. G. Andern. l. c. dial. 4. f. 508. 509. 510. harum doſis ℥ij. *pilulas Indas Haly*, ex Meſue. J. G. And. l. c. f. 509. 510. *pilulas lucis minores*. Meſue. *pilulas de 5. gen. myrobalan.* Nicolai. *pilulas melanagogas Mynſichti* Theſ. & armam. Chym. med. ſ. pag. 148. harum doſis.

Confectionem ad choleram nigram, Serap. pract. tr. 7. de antid. c. 8. *Electuarium diabalzemer* vel ſenatum (ahalzemer enim Perſis eſt folliculus ſenæ, Meſue de ſimpl. c. 15.) Renodæi Antidotar. l. 2. c. 11. *Pulverem Haly*

apud

apud Valeſc. de Taranta in Philonio l. 1. c. 13. quem his verbis commendat: Poſito, quod aliæ medicinæ non valeant, iſta valet nutu Dei miſericordis, & eſt medicina coronata, quæ ſecretiſſimè teneatur, ut humanus intellectus quaſi deperditus hoc medicamento inſtauretur. Vide Sennert. Pract. l. 1. part. 2. c. 11. *Pulverem benedictum* vocat Henr. ab Heer obſ. 27.

Lapis Armenus & lapis lazuli ſimul Electuarium diaſenæ Nicolai: Jul. Alexandr. conſ. Scholtz. 175. in cujus duplici tamen deſcriptione pondus lapidis Armeni & lazuli variant. In primâ enim in Diſpenſatorio Nicolai Præpoſiti, Lugduni Aō. 1528. impreſſo, l. 2. lit. D. fol. 41. habētur lapidis Armenici loti ℥j. lapidis lazuli loti ℥ij. in Antidotario Nicolai, cum expoſitionibus Platearii cum Meſue impreſſo Venetiis f. 209. habetur lapidis Armenici ℥j. lap. laz. ℥iij. Et ita ſimiliter in Pharmacopæâ Auguſtanâ claſſ. 4. Antidot. Romano pag. 40. Diſpenſatorio Melchii diſt. 1. pag. 71. Ubi notandum Auguſtanos pro lapide Armeno ſubſtituere lapidem lazuli. In alterâ deſcriptione, in priori Diſpenſario habentur lapidis lazuli, lapidis Armeni ana ℥iiß. in poſteriori Antidotario, lapidis Armeni, unc. 1. lapidis lazuli, drach. iij. *Electuarium ſolutivum in melancholiâ*, cujus doſis à ℥iiij. uſque ad vj. J.

Lang. l. 3. epiſt. 1. c. 7. *pilulas ſpeciales in melancholiâ*, J. Platearii pract. de ægrit. cap.c. 5. Valeici de Tar. in Philon. l. 1. c. 13. nonies ablutos. Notandum, quod cum prædicti lapides ponuntur in decoctionibus, ſemper debent lavari: cum verò in pilulis, non eſt neceſſe ut laventur. Platear. pract. l. c. quod poſterius tamen mihi non probatur.

Si enim Rondeletio, ut ſupra dictum; hi lapides, etiam loti, ideò in formâ pilulari ſuſpecti ſunt, quod diuturniore morâ in ventriculo corrodendo & urendo, noxii eſſe poſſint: quid in pilulis non facerent illoti in vulnerando inteſtina, cujus tamen periculi vitandi gratiâ lavari ſupra idem Platearius dixit?

Quæ enumerata medicamenta ſingula vitiis ex melancholico & aduſto humore, vel atra bile natis medentur, ut *Melancholia*: Meſue de ſimplicibus laborioſè ſolventibus in quibus eſt venenoſitas c. 13. de lap. Armeno, & cap. 14. de lap. cyaneo. Avic. l. 3. fen. 1. tr. 4. c. 20. Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 47. Aver. ſimpl. c. 43. Serap. pract. tr. 1. c. 22. Jac. Sylv. meth. curandi pag. 58. Fr. Rucus de gemm. l. 2. c. 21. Alium à melancholiæ morbo, cum jam fores eſſet ingreſſus, bis vel ter acceptus lap. Armen. lotus, revocavit. J. Manard. l. 3. epiſt. 3.

Hinc

Hinc conveniunt pill. de lap. Armeno: Meſue de ægr. cer. c. 7. pill. de lap. lazuli: J. Sylv. l. c. pill. Indæ, de lap. laz. vel Armeno: Rondel. pract. l. 1. c. 41. pill. ex lap. lazuli & Armeno: Platear. pract. l. c. pill. Indæ: J. Sylv. l. c. pulvis ad melancholiam & epilepſiam habens lap. Armenum decies ablutum & præparatum: J. Langii l. 3. epiſt. 1. c. 6. pag. 838. cujus doſis ℥j. pulvis in quo lap. lazuli ablutus. Rondel. l. c. Elect. diaſenæ Nicolai. Platear. expoſ. in Antid. Nic. f. 209. diabalzemer Renodæi. contra melancholicam paſſionem detur lap. laz. cum decoctione ſenæ. Platear. de ſimpl. med. lit. L. lapis laz. & lap. Armen. in decoctione epithymi, polypod. myrob. Ind. &c. Idem pract. de ægr. cap. c. 5. & de febr. c. 5. Nota tamen, quod non debent dari in decocto, quod ad fundum deſcenderent. Unde antequam detur decoctũ, detur cum ſyrupo, vel cultello, vel cochleari, poſtea detur decoctio. Vel melius, quando datur ad purgandum melancholiam, prius detur decoctum, & poſt quartam vel quintam ſellam ſeu aſellationem detur lap. laz. vel cum melle, prout patiens melior poſſit accipere, miro modo purgat ſic. Idem. Platear. de ſimpl. medic. lit. L. & practic. de febribus c. 5.

Acidulæ Dainacenſes etiam utiliſſimæ

 ſunt,

ſunt. Tabern. Hydrotheſ. part. 1.l.1.c. 80. p. 459. J. Leporinus.

Nicolaus Alexandrinus habet Antidotum de zinzibere, *contra epilepſiam, apoplexiam,* & alios *melancholicos affectus*, quam præter antimonium ingrediuntur cum lapide lazuli, etiam lapis Armenus; non tam ad purgandum, quam confortandum: Da es ſich doch nicht darfür anſehẽ läſt/daß das Antimonium den Leib zu reinigen und zu purgiren darunter ſey gemiſcht worden / ob es gleichwohl mit dem Lazur und Armeniſchen Stein vermiſcht worden/denn es gehet ein gar zu geringer quantität darein/ſo man es gegen andern ingredienten halten wird. Sondern es wird allein dazu gethan / zu Stärckung der Nerfedern und des Hirns / wie denn auch die beyde Steine und andere ſimplicia zu Dämpffung der melancholiſchen Feuchtigkeit darein kommen: Dann ſie in dieſer compoſition eben ſo wenig treiben und laxiren/als der gemeldte Lazurſtein in der confection alkermes thut. Vereinigung der Galeniſchen und Paracelſiſchen Artzney-Kunſt/ pag. 224.

Melancholiæ hypochondriacæ: in quo affectu ſuum diabalzemer laudat Renod. l. c. ſuum lapidem lazuli uſtum & lotum, M. Förſter. Tartar. hypochondr. p. 82.

Externè in hoc affectu pro balneo conducunt

cunt aquæ Lazurinæ & lapid. Armeniæ: J.Th. Tabern. l. c. p. 2. l. 1. c. 37. 38.

Maniæ: Meſue de ſimpl. ll. cc. Hinc conducunt pilulæ de lap. Armeno. Meſue de ægr. cer. c. 7. Valeſc. de Tarant. Philon. l. 1. c. 13. Avic. l. 3. fen. 1. tr. 4. c. 17. pilulæ Indæ. pill. de lap. laz. pulvis è lap. laz. ℈ij. & l. Armen. ℈ß. J. Th. Thabern. l. c. 80. pag. 449. N. A. Frambes. can. & conſ. med. l. 2. tit. 2. ſelect. diaſenæ Nicolai, diabalzemer Renodæi.

Acidulæ Dainacenſes etiam proſunt. Tabern. l. c. pag. 439. 447. Leporin.

Prædictus Tabernæmont. inter purgantia in Maniâ recenſet etiam confectionem Alkermes, quod abſque dubio fit ob lap. laz. qui iſtam confectionem ingreditur. Sic memini præceptorem meum p. m. Dn. D. Joh. Prævotium, Prof. Patav. pro purgante regio propinaſſe ℥j. confectionis alkermes. Sed tunc in eam non deberet aſſumi lapis lazuli uſtus & lotus, (quod faciunt Monſpelienſes, ſecundum Zwelferum animad. in Pharmac. Aug. f. 250. 1æ. edit. Colonienſes in Diſpenſ. cl. 2. f. 32.) qui vim ſolutoriam amiſit; ſed lotus tantùm, (quod facit Meſue de ſimpl. l. cit. c. 14. & qui hunc ſequuntur Monſpelienſes, ſecundum Diſpenſatorium Noribergenſe Cordi, f. 78. 79. Romani in Antidotario pag. 20. 21. G. Melich. in Diſpenſatorio diſt. 1. pag. 24.) qui vi purgante præditus. Ron-

Rondeletius ita hâc de re: Confectio alkermes ſi præparatur cum vero lapide lazuli, ſolvit ichores melancholicos. Si non reperiatur vera confectio alkermes, adde communi modo paratæ lapidem lazuli ablutum, cum aquâ bugloſſi & roſar. donec aqua remaneat clara, & colore lazuli non amplius inficiatur ad ℈ij. Si nullo modo reperiatur confectio alchermes, (quia nunquam uſus eſt Falco in morbis, in quibus ſuſpicio erat de fluxu ventris, quæ habet vim ſolvendi paulo minus quam conf. Hamech.) utatur pulvere ſequente, ℞. ſum. thymi ℥ß. epith. ℥j. ſeminis cuſc. ℥iij. lapid. lazuli abluti, ut diximus, ℥ij. diagrid. ℥j. cinamomi, macis, garyoph. ſpicæ nar. perlarum non perforatarum ana ℥ß. maſtich. ℥j. moſci gr. vj. fiat pul. vel ut melius conſervetur, adde ſyr. de pomis compoſ. q. ſ. ad incorporandum, & fiat ad formam opiatæ, cujus doſis erit à ℈ij. ad ℥iß. pul. vel ò ad ℥j. Pract. l. 1. c. 41.

Præterea, ſi velis ut confectio hæc purget & evacuet, retinenda erit ejus deſcriptio, quæ ℥xij. habet lapidis cyanei loti, qua de re infra.

Pro egregio tamen confortante in morbis melancholicis memorata confectio feliciter uſurpari poteſt. Eſt enim ex rebus animam confortantibus confortatione mirabili. Meſue l. c. R. Dodon. conſ. Scholtz. 176. Idcircò debe-

deberent in confectionem alkermes aſſumi ℥ij. lapidis laz. uſti & loti, utpotè minimè purgantis. Siquidem uſtione vim laxandi amittit, L. Joubert. Pharmacopœæ ſect. 2. f. 468. operum T. 1.

Quapropter in Maniâ laudat lapidem laz. uſtum & lotum, M. Förſter. in Tartaro hypochondr. pag. 82. Magiſterium lapidis lazuli. L. Hofman de vero uſu & ſer. abuſ. med. Chym. p. 116.

Epilepſiæ: Meſue ſimpl. l. c.c.13.& 14. Aët. de lap. Armen. tetr. 1. ſ. 2.c. 47. pilulæ, quas ingreditur lap. laz. lotus, ad epilepſiam melancholicam fideles. Meſue de ægr. cer.c.26. Valeſc. de Tar. Philon. l. 1.c.13. pilulæ in quibus lap. Armen. novies ablutus, Gordonii, apud Valeſc. l.c. pilulæ ad epilepſiam expertæ Serapionis pract. tr. 7. de antid. c. 17. diabalzemer Renodæi: pulvis ad melancholiam & epilepſiam, qui habet lap. Armenum decies lotum & præparatum ʒ. Langii l. 3. epiſt. 1. c. 6. Extractum lapidis lazuli Hartmanni, pract. Chymiatr. p. 32.

A Lacuna annot. in Dioſcoridem, in Hiſpanicam linguam ab ipſo converſum, in pueror. vel lactentium infantiũ epilepſiâ, lapidis Armeni ℈j. ex minoris centaurei decocto propinatũ, admirabile eſſe auxilium ſcribit: quæ tamẽ opinio à Matthiolo l.4. epiſt f.158. improbatur

batur. Ideoque (pergit Matthiolus) unius vel alterius grani pondere id infantibus dari poſſe crediderim, cum epilepſiâ tum ſpirandi difficultate affectis, admirabili ſanè juvamento, rhodomelite oxymeliteve vel ptiſana exceptum. Nam cum illud revomant ſumentes,(ut Nicchefſon ille inquit apud Aëtium tetr. 1. ſ. 2. c. 47.) nihil penitus periculi afferre poteſt. Nam ſcrupulo quatuor ſexvè poſſe jugulari infantes, ego ſanè non ambigo.

M. Förſter. commendat lapidem lazuli uſtum & lotum: de Tartaro hypochondr. pag. 82

Apoplexiæ: O. Worm. Muſei l.1.ſect.2.c.9.

Emplaſtro ad caput roborandum & apoplexiam præcavendam etiam additur lap.laz. apud Sennert. Pract. 1. p.2.c.33.

Vertigini: vertigo melancholica curatur ut Soda melancholica. Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. & de ægr. cer. c. 17. Lapis lazuli uſtus & lotus laudatur à M. Förſtero l. c. Extractum lapidis lazuli à J. Hartmanno, pract. Chymiatr. pag. 32.

Incubo: lapis Armenus. O. Worm. l. c.

Commendatur tinctura & magiſterium lapidis Armeni & lazuli. Sennert. pract. l. cit. cap. 29.

Cephalalgiæ: Sodæ melancholicæ ſeu dolori capitis ab humore melancholico conferunt

pilulæ

pilulæ de lap. Armeno, apud Meſuen de ægr. cor. c. 7. & de ſimpl. l. c. c. 13. de lap. Armen. Pil. de 5. gen. myr. Val. de Phil. l. 1. c. 1. pilulæ conferentes ad dolorem capitis ex melancholiâ: Avic. l. 5. can. ſumm. 1. p. 12. ſumm. 2. lapidem lazuli uſtum & lotum dilaudat M. Förſter. l. c. Extr. lap. laz. J. Hartmann. l. c.

Viſus mirum in modum corroboratur, ſi caput & ventriculus oleo lapidis lazuli inungatur. O. Worm. l. c. ex Fioravanto.

Somnum & requiem conciliat oleum lapidis lazuli. O. Worm. l. c. ex Fiorav.

Aſthmati medentur hi lapides: lap. laz. huic confert thoracem & pulmonem craſſis & lentis humoribus expurgando: Meſue de ſimplic. l. c. c. 14. de lapide cyaneo. Serapio ſimplic. c. 389. Avic. l. 2. can. tr. 2. c. 57.

Dioſcorides, poteſt omnia lapis Armenus, quæ chryſocolla, ſed imbecillius. Plinius vero chryſocollam dat in anginâ, & his qui non niſi rectâ cervice benè ſpirant. Quare ſequitur, ut etiam hic lapis in eisdem morbis bibi poſſit. J. Manard. in Meſue ſimpl. Armenium datur & pueris pectoris morbo infeſtatis. Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 47. Vide quæ de hoc in epilepſiâ dicta ſunt.

Aquæ lazurinæ & lapid-Armeniæ in inſeſſu utiles ſunt. Tabernæm. l. c. pag. 548.

Lienis morbis: ut obſtructionibus, tumoribus,

bus,doloribus: Meſue de ſimpl. l.c. c. 13. de de lap. *Armen*. Platear. pract. de ægrit. ſplenis cap. unico. Elect. diaſene Nicolai Præpoſiti in *Antidotar*. Platearii f. 209.

Acidulæ Dainacenſes in potu; *Tabern*. l.c. pag. 439. aquæ lazurinæ & lapid-*Armeniæ*, in inſeſſu; Idem pag. 548.

Ictero nigro: acidulæ Dainacenſes; *Tabern*. l. c. pag. 439.

Præſervativum icteritiæ nigræ: Cape lapidis lazuli, ſucci ſileris montani ana drachmam, laudani ſcrupulos quatuor, olei de nuce muſcata, quantum ſufficit pro incorporatione. Doſis à drachmis duabus usque ad tres. Paracelſ. de *Tartaro* l. 4. edit. Bodenſteinii pag. 257.

Ad articularem morbum inſtituuntur pilulæ è quinque generibus myrobalanor. recipientes lapidem laz. Rondel. in Pharmacopolar. officinâ p. 1196. & in Pharm. offic. apud Lobel. f. 87.

Podagræ dolores & inflammationes ſubitò levat ol. lap. laz. Fioravanti. O. Worm l. c.

Quartanis febribus: Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. de lap. *Arm*. & c. 14. de lap. cyaneo. Val de *Tar*. Phil. l. 7. c. 12. *Avic*. l. 4. Fen. 1. tr. 2. c 64. Hinc conveniunt pil. è lap. *Armen*. pil. è lap. laz. pilulæ Indæ, elect. diaſenæ. *Tabern* l. c. p. 444. *Antidotar*. Nicolai cum expoſ

Platea

Plateariiſ. 209. L. Joubert. Oper. T. 1. Medic. pract. l. 2. c. 11. fol. 265. pulvis ad quartanam ſolutivus, qui habet lapidem laz. L[illegible]gii l. 3. epiſt. 1. c. 6. lapis laz. uſtus & lotus: M. Förſter. l. c. & conf. alkermes, in declinatione, tanquam viſcera corroborantia maximè conferunt: Joubert. l. c. f. 267. Acidulæ Dainacenſes: Tabern. l. c. pag. 439. 442.

Cancro: Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. de lap. Arm. Valeſc. de Tar. Phil. l. 7. c. 35. Pilulæ de lap. Armeno: Meſue de ægr. cer. c. 7. mulierem cancro in mammillâ laborantem ab ingentibus doloribus liberavit lapis Armenus ablutus. J. Manard. l. 3. epiſt. 3.

In balneo acidulæ Dainacenſes: Tabern. l. c. pag. 441. aquæ lazurinæ & lapid-Armeniæ. Idem p. 548.

Fiſtulis: has ſanant balnea ex acidulis Dainacenſibus, aquis lazurinis & lapid-Armeniis. J. Th. Tabernæm. ll. cc.

Lepra Arabum vel Elephantiaſi: Meſue de ſimpl. l. c. c. 13. de lap. Arm. præſervat à lepra: Meſue l. c. cap. 14. de lap. cyaneo, pilulæ de lap. Arm. Meſue de ægr. cer. c. 7. diabalzemer Renodæi. Lapis lazuli: Valeſc. de Tar. Phil. l. 7. c. 39. Armenium datur elephantiaſi laborantibus. Aët. tetr. 1. ſ. 3. c. 32. Lapis laz. & lap. Arm. inter purgantia in lepra numerantur à Fr. de

H Pede-

Pedemontio de Apoſtem. melanchol. c. 3. Serapione pract. tr. 5. c. 14. Avic. l. 4. Fen. 3. tr. 3. c. 3.

Scabiei Lapis lazuli, pro purgante: Val. de Tar. Phil. l. 7. c. 35. Acidulæ Dainacenſes externè pro inſeſſu uſurpatæ: J. Th. Tabern. l. c. p. 441. ut & aquæ lazurinæ & lap-Armeniæ: Idem pag. 548.

Alpho nigro, vel Morphaa alba & nigra: lap. lazuli: Serap. pract. tr. 5. c. 5. pilulæ in quibus lap. laz. Idem ibid. tr. 7. de antidot. c. 17. Si teratur lap. laz. cum aceto, & lineatur ſuper morphæam & baras, curat. Idem ſimplic. c. 389.

Ulceribus peſſimis: Fioravanti Elixir lapidis lazuli, de quo c. 7. In balneo acidulæ Dainacenſes, & aquæ lazurinæ & lapid-Armeniæ. Tabern. ll. cc.

Nephritidi: Aët. tetr. 1. ſ. 3. c. 32. Armenium datur in renum affectionibus. Lapis lazuli, Judaicus, lyncis, ſpongiæ, ſolvuntur in ſpir. ⊖. ſolutio clara coagulatur; iterumque reſolvitur. M. Panſa Pharmacothecæ l. 2. c. 18. p. 116. Vide ſchediaſma de lap. Aëtite c. 5. pag. 58.

Inceſſus in aquas lazurinas & lapid-Armenias: Tabern. l. c. p. 548.

Doloribus renum confert potus lapidis laz. Serapio ſimpl. c. 389. ex Alcanzi. Avic. l. 2. can tr. 2. c. 57.

Ad *mictionem puris* aliis addit lapidem Armenum Rhaſ. de re med. l. 9. c. 77. *ad eos, qui invi*

urina

urinam reddunt; c. 78. *in dyſenteriâ*: c. 72. Sed Rhaſin lapidem illum Armenum, de quo ſupra c. 2. p. 43. intellexiſſe ſuſpicor, cum noſter lapis Armenus hîc non conveniat.

Hinc ubi Rhaſes ad Manſorem ponit lapidem Armenum, Jan. Damaſcen. bolum Armenum præſcribit, ut l. 5. c. 26. 27. Similiter ubi Rhaſes l. 9. c. 59. de cruentis ac purulentis excretionibus lapidem Armenium; J. Damaſc. l. 4. c. 25. habet bolum Armenium.

Indicæ lui inveteratæ: ubi ſuum diabalzemer commendat Renodæus.

Paſſionibus hyſtericis itidem proficuum eſt Renodæi diabalzemer.

Fœdos viduarum colores corrigit prædictum diabalzemer.

In Febribus malignis Fioravant. extollit Elixir lapidis lazuli ſupra c. 7. deſcriptum.

Menſes educit lap. laz. ſuppoſitus, non lotus nimirum. Meſue de ſimpl. l. c. c. 14. de lap. cyaneo quando ſit naſcale cum eo, provocat menſtrua: M. Sylvat. Pandect. f. 18. Serap. ſimpl. c. 389. Provocat menſtrua Azuli ſufficienter bibitum, & in matrice ſuppoſitum. Avic. l. c.

Molam matricis aliis additus lap. lazuli expellit, in formâ peſſarii adhibitus. Paracelſ. Bertheon. de Apoſtem. c. 57. pag. m. 213.

Hæmorrhoidibus recentibus uſu prodeſt. Meſue de ſimpl. Platear. pract. de ægr. inteſt. c. 7.

Morphæam & albaras curat, ſi teritur, lap. laz. non lotus cum aceto & ſuperlinitur. M. Sylvat. Pandect. l. c. vide paulò ante.

Maculas diverſorum generũ vitiligines, lentigines, nævos originales delet lap. laz. cum aceto acerrimo illitus. Plater. Pract. T. 3. l. 1. c. 2. p. 154.

Verrucas auffert lap. lazuli, quia eſt aduſtivus & putrefactivus. Serap. ſimpl. c. 389. M. Sylvat. Pandect. l. c. dejicit verrucas. Avic. l. 2. canon. tr. 2. c. 57. Pro purgante lap. laz. proponit Val. de Tar. Phil. l. 7. c. 40. Hoc loco non poſſum intermittere, quin commemorem, quod ante paucum tempus à Nobiliſſimo Colonello, Dn. Mauritio Ottone à Günderod, in Unterеſchebach/reſcivi, eſſe in noſtrâ Franconiâ, propè Hamelburgum, ad Salam Franconiam, (id oppidum Dn. Abbati Fuldenſi paret, & tribus milliaribus Suinfurto diſtat) in Nobilium à Lauter pago Morleſauw/ (vulgus vocat Morſauw) in lapide ſpeluncæ cujusdam à naturâ excavato, aquam, quâ circumvicini lotione abigunt & delent verrucas & clavos.

Carnes minuit excreſcentes cæruleum. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 2. Cyanus demolientem conſumentemque carnem vim habet. Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 58.

Pſilothrum eſt, ſeu pilos radit lap. lazuli non lotus: Meſue de ſimpl. l. c. c. 14. de lap. cyaneo.

Pilos ſervat, productiores reddit, & in palpebris novos

novos gignit lapis cyaneus lotus, & ei ineſt proprietas mirabilis. Galen. 9. ſimpl. Meſue ſimpl. l. c. c. 14. de lap. cyaneo, & de ægrit. oculor. c. 17. G. Bartiſch Augendienſt part. 10. c. 1. fol. *191*. Sennert. Pract. l. 1. p. 3. ſ. 2. c. 8. Lapis Armenus pilos auget palpebrarum. J. Manard. in Meſue l. c. c. 13. de lap. Arm. & Meſue de ægr. ocul. c. *17*. Dioſcor. l. 5. c. 65. Aët. tetr. *1*. ſ. 2. c. 47. & tetr. 2. ſ. 3. c. 78. & tetr. 2. ſ. 4. c. *1*. Serapio pract. tr. 2. c. 6. & ſimpl. c. *389*. Plin. l. 35. c. 6. Alcohol juvativa ſunt ad illud lapis Armenus & lazuli. Avic. l. 3. Fen. 3. tr. 3. c. 30. Glabriciem hanc vel caſum aut defluvium pilor. palpebrarum Græci vocant *μαδάρωσιν*, *μαδαρότην*, *μύδωσιν*, *μίλφωσιν*, *πτόλωσιν*. Ut non opus habeat. J. B. Theodoſ. epiſt. 55. quod in Avicennam inſurgat & ſcribat: ſi habet vim eradicativam, quomodo nutrit & producit capillos?

Ablutione enim vis eradicandi tollitur.

Aliam rationem ex Aëtio l. c. afferre videtur Sanct. Sanctor. meth. vitand. err. l. *8*. c. *11*. tum ſcribit: non eſſet fortaſſe neganda lapidis lazuli virtus à Meſue relata, quod videlicet pulveriſatus faciat, ut pili, quando corroduntur ab acutis humoribus, in palpebris enaſcantur; quoniam pulvis inſperſus deterget, & malam qualitatem palpebrar. auferre poſſet, unde poſſent pili ſine difficultate enaſci.

H 3 Bonos

Bonos efficit pilos palpebrarum,& prolongat eos,& eſt ultimum ſicut dicitur in illo propter proprietatem,quæ eſt in ipſo. Et dicitur præterea, quod ipſum evacuat humores malos prohibentes oriri pilos bene. Avic. l.2.can. tr. 2. c. 57.

Averroës ſimpl. c. 43. pulveriſatus ſuper palpebras,facit naſci pilos,quia minuit humores calidos,eò quia abſtergit, & cum eadem habet ſtypticitatem, & ideo facit oriri pilos, quia removet humores calidos,&reddit membrum ad priſtrinam complexionem.

Lapis lazuli vel Armenus tritus atque inunctus cum liquore aliquo,ſuperciliorum & palpebrar. pilos reparare dicitur. F. Plater. Prax. T.3.l.1. c.1.pag. edit.in 4to.32.

Groſſitudinis palpebrar. ſequentis ſcabiem cura eſt collyrium factum ex lapide lazuli & lapide *A*rmeno.*A*vic. l. 3. fen. 3. tr.3.c. 7.

Ophthalmicis quoq; miſcetur lapis *A*rmenus: Galen. 9. ſimpl. *A*ët. tetr. 1. ſ. 2. c. 47. J. Manard. l. c. ablatâ nempe lotione acrimoniâ.

Ad *cicatrices oculorum & hebetudinem viſus:* *A*ët. tetr. 2. ſ.3.c.38.& 39.

*A*d *lippitudinem ſiccam,* & *corroſos angulos*, ac *oculos humectos* & *palpebras ficoſis*. *A*ët. l.c. c. 77.

*A*d *oculos lachrymantes*: *A*ët. l.c.c.98.

*A*d *albugines* tollendas: *A*ët. l. c. c. 110.

Purgat ulcera cæruleum.Plin.l.33.c.13.

Medi-

Medicamen mirabile ad vulnera omnia peſtifera & ad anthracem: Recip. anacardi, aniſi, maſtiches, junci, ana lapidem lazuli partem 5. confice cum tantundem ſucci cydoniorum acrium, & pone ſuper fiſtulam & cancrum & omne vulnus malum, quoniam abſcindit radicem eorum & conſumit materiam, & cum fuerit viride ſive mundum, pone deſuper. Rhaſ. antidotar. l. 1. c. 4.

Ulcera gingivarum & oris ſcorbutica curant acidulæ Dainacenſes & aquæ lazurinæ & lapid- Armeniæ collutione. Tabern. II. cc. pag. 441. & 548.

In *ulcere inteſtini recti* confert emplaſtrum de petra lazuli poſitum ſuper dorſum. Serap. pract. tr. 3. c. 25

In excoriatione inteſtinorum confert etiam emplaſtrum de petra lazuli, poſitum ſuper dorſum. Jan. Damaſc. l. 5. c. 26.

Fœtorem corporis corrigunt acidulæ Dainacenſes: Tabern. l. c. pag. 441. in inſeſſu.

Gonorrhœam ſiſtunt acidulæ Dainacenſes, in potu: Tabern. l. c. p. 439.

Uterum frigidum ad temperiem reducunt acidulæ Dainacenſes potæ. Tabern. l. c. p. 439.

Sudorem immodicum cohibent acidulæ Dainacenſes, externè uſurpata. Tabern. l. c. p. 441.

In *hydrope à liene:* ℞. lap. lazuli calcinati ℥iij. ſpodii ℥ß. mumiæ aduſtæ, ad pondus o-

mnium, miſce, fiat pulvis, doſis drag. *6.* ad *7.* P. Poter. obſ. cur. 2. pag. *17.* ex Paracelſi *T.* 3. de Tartaro l. 2. tr. 2. c. 6. pag. *219.* Bodenſtein habet à drachmis quinque usque ad ſeptem & hæc cura perſeveretur in tres ſeptimanas, ſi ſit opus, in edit. libri de Tartaro Paracelſi Baſileæ *1563.* pag. *196.*

In *hydropiſi ex lacte renum*; ℞. ſerapini, laudani, galbani, an. ℥iß. lapidis lazuli, hermodactylor. ana ʒß. conſervæ roſar. q. ſ. pro incorporatione. Doſis aureus ſemiſ. *Aureus* pendet ʒiß. Illa medicina datur, ſi metus eſt tumoris pedum invaſuri, ut detur, & poſtquam tumor deſiit, à medicinâ quoq; ceſſandum: & poſt annum, ſi revertitur, rurſus dandùm. Nam alioquin non eſt cura morbi, ſed præſervatio. Paracelſ. *T.* 3. de Tartaro l. 2. tr. 3. c. 3. pag. *226.* & *228.*

Oedemata crurum ſanant aquæ lazurinæ & lapid. Armeniæ. Tabern. l. c. p. 548.

Tremori cordis & *ſyncope* prodeſt lapis lazuli. *Cor enim roborat, ejus noxas auſert, animam exhilarat, corpus floridum diu tuetur, vitam reddit beatam.* Meſue de ſimpl. l. c. c. 14. de lapide cyaneo.

Contra *cardiacam paſſionem* detur cum ſucco borraginis, & cum pulvere de corde cervi. Platear. de ſimpl. med. lit. L. c. 3. f. *91.*

Uſtus & ablutus lap. lazuli *interiora recreat.* Renodæus de mat. med. l. 2. ſect. 2. c. *8.* Qua-

pro-

propter L. Joubert. Pharmacopææ l. c. f. 468. in conſ. Alkermes urendum eſſe dicit. Et quamvis f. 483. in Conſ. alkermes ſcribat lapidis lazuli loti & præparati: tamen absque dubio cum Lobelio, ut jam jam dicetur, uſtum & lotum intelligit. Scribit enim: Nos ante lotionem urendum eſſe volumus, ut cathartica vis omnis abſumatur, ea ſuperſtite quæ inhilarare & cor recreare creditur, abſumptis (forſitan) aut repreſſis vaporibus melancholicis.

Lapis lazuli uſtus & lotus, tanquam *confortativum*, additur pilulis purgantibus, à M. Förſtero in Tartaro hypochondr. p. 79. & 81.

Hinc ingreditur lapis lazuli compoſitionem tàm decantæ confectionis Alkermes, vel Electuarii ex granis tinctoriis, apud Meſuen de ſimpl. l. c. c. 14. de lap. cyaneo, & Antidotarii diſtinct. de Electuariis part. 1. fol. m. 106. & ſeq. Electuarium Nicolai Alexandrini de comp. med. c. 251.

Lapis Armenus & lapis lazuli Confectionem de hyacintho Avicennæ, in Luminari majore f. m. 17. Et extat deſcriptio hujus confectionis apud Avic. Canon. l. 5. ſum. 1. tr. 1.

Auguſtani tamen in Pharmacop. claſſ. 11. ex Jouberti Animadverſionibus operum T. 1. ſect. 3. f. 484. Pharmacopœæ & ibid. libri de peſte c. 19. ſeu ult. f. 167. duos hos lapides omittunt.

Electuarium diaboraginatum Nicolai Præpoſiti in Diſpenſario l. 2. lit. D. fol. 42. eosdem lapides continet. Lap. laz. electuar. de xyloaloë Avicennæ l. c. tract. 3.

Remb. Dodon. confectionem Alkermes, eò quod lapidem lazuli admittat, commendat non modò ad melancholicas mentis commotiones, verùm & ad cordis roborationem: conſ. Scholtz. 176.

Lapis lazuli & Armenus loti ab Avicenn. lib. de virib. cordis tract. 2. c. 3. 4. 5. inter cordialia numerantur: P. Caſtellus epiſt. med. 10. pag. 201.

Lapis Armenus, lapis lazuli à Franc. de Pedemont. inter medicinas cordiales ſolventes melancholiam referuntur: de ægrit. cord. c. 1

Quamvis autem lapidem lazuli in confectione Alkermes æquè admittat J. Manardus dum ſcribit: Cyanei vero ratione vomitum & ſeceſſum citabit, quæ præ exiguâ ejus quantitate perficere non valens, lædet magis quam juvabit: & hujus ſententiæ & hæreſis doctiſſimi Manardi ſectatus ſit veſtigia eruditiſſimu & perbonus author Dodoneus, ita ſcribente Lobelio in Pharm. offic. Rondel. f. 59.

Dodonæumque acriter defendit, ejusdem Auditor pariter & Commentator, Seb. Egbertus; Vir Conſularis in notis ad praxin, pag. 21 A compoſitione alchermes, & omnibus lap

dem

dem lazuli habentibus, quod valdè venenoſus ſit, niſi probè abluatur, libenter abſtinemus. Quidam cum frequenter hac uteretur pro cordiali, tandem in morbum incidit, è quo mortuo effluxit ſangvis putridus multus, quod ſi corpus apertum fuiſſet, procul dubio viſcera corrupta fuiſſent inventa, cùm enim pauca quantitate uteretur, non potuit hinc purgari.

Tamen perbenè ipſi reſpondet jam dictus Lobelius l. c. f. 60. dum ita .: De formidabili purgatrice lapidis Armenii vi in antidoto alkermes non eſt verendum: qui Cyaneus lapis non modò lavatur, ſed præparatur, hoc eſt, primùm teritur, & in crucibulo fuſorio uritur, ut laxandi vim exuat. Ad hæc Monſpelienſes textum ſive formulam Nicolai Præpoſiti, ut in veteri codice Meſue drach. 12. pro drach. 2. adduntur, minimè ſeqvuntur. Jo. Coſta verò ita: Verùm Manardo hæc objicienti dandum, lapidem cyaneum eâ menſurâ aſſumtum, quâ non expurgat, ventrem ſubverſurum, niſi caſtigaretur. At caſtigatur hic multorum aromatum miſcelâ, ut propterea perturbare nullo pacto poſſit; præſtare autem inſitâ proprietate cordi auxilium poſſit. Illud etiam hîc quærendum, de hujus lapidis menſurâ, an drach. 12. ſumendæ, ut in lib. ſimpl. an duæ, ut hoc loco in omnibus paſſim codicibus legitur. Judicio noſtro qvum lib. ſimpl. ſapientes

pientes quoſdam,ejus drach. viij. uni antidoti libræ adjunxiſſe aſſerat, inſigni cum auxilio ad affectus melancholicos, & ad eorum imitationem ipſe quoque ſuum hoc paret: ſubeſſe hoc in loco errorem arbitrandum, & drach. xij. pro duabus reponendum: annotat, in Meſue Antidotar. diſtinct. 1. de Electuariis, fol. 107.

De hac re etiam Chriſtoph. de Honeſtis ſimiliter: Hanc confectionem iterum ſcripſit Meſue in ſuis ſimplicibus cap. de lap. ſtellato, quam appellat illic confectionem de lapide lazuli,& hic confectionem alkermes. In aliquibus tamen differentes: quia in præſenti ponuntur tantum ℥ij. lapidis lazuli: in alterâ verò ℥xij. quod factum fuiſſe credo errore ſcriptoris potius, quam aliâ ratione: nam ambabus iidem effectus ſive utilitates attribuuntur: niſi quis vellet dicere,quod illa quæ in ſimplicibus deſcribitur confectio lazuli denominatur: quia in eâ magna quantitas de lapide lazuli ingreditur: & in iſtâ non: ideò confectio alchermes, dicitur: tamen credo potius errore ſcriptoris factum eſſe,quàm aliâ ratione: in expoſitione l. c. Antidotar. Meſue fol. 108.

Circa compoſitionem hujus confectionis variant auctorum ſententiæ; ſiquidem Meſue cap. de lapide ſtellato,deſcribit confectionem quandam ex lapide lazuli, & ſuæ inventionis eam nominat,ſimilem huic in antidotario poſitæ,

ſitæ, quoad ingredientia; diverſam autem quoad ipſorum pondera. Ideoque fuerunt, qui varietatem hanc chalcographorum oſcitantiæ & imperitiæ tribuerunt, atque ex duabus deſcriptionibus unicam concinnandam, præferendamque eſſe judicarent eam, quæ cap. de lapide ſtellato exſtat, quod drachmas xij. lapidis Cyanei reciperet. Quæ ſane quantitas ſi retineatur, ſingulis confectionis drachmis terna lapidis Cyanei grana cedent. At ſi deſcriptionem in antidotario poſitam ſequaris, vix decimam grani partem drachmæ uni obtingere videbis. Nobis vero mendum codici ineſſe non videtur. Etenim cum confectio alchermes alterius ſit auctoris, Meſue drachmas duas lapidis cyanei, auctorem ſecutus, retinuit, in alterâ vero deſcriptione, quam à ſe inventam prædicat, duodecim lapidis drachmas, ab intentione ſuâ non recedens, poſuit. G. Melich. Diſpenſ. Med. diſt. 1. p. 25. 26.

Pondus igitur drachmas xij. ſequuntur Nicolaus Præpoſ. in Diſpenſario l. 2. lit. A. fol. 31. Antidotar. Romanum p. 20. 21. L. Joubert. Operum T. 1. Pharmacopœæ ſect. 3. f. 483. Girolamo Caleſtano Parmigiano ſpeciaria part. 2. p. 122.

Pondus drachmar. ij. diſpenſator. Colonienſe ſect. 2. fol. 32. G. Melich. l. c. pag. 24. Renodæus Antidotarii l. 3. ſ. 2. cap. 1. p. 167.

Breviſſimis; ſi intentio eſt corroborare, confor-

confortare, cor recreare, ſumas ſive ℥xij. ſive ℥ij. (mallem ego tamen ℥xij.) lapidis lazuli uſti & loti: ſi vero animus eſt laxare, alvum movere, purgare, accipias ℥xij. lapidis lazuli triti & loti, non uſti.

Quamvis perſuaderi non poſſim, ut credam, tantillum lapidis lazuli in drachma una confectionis alkermes, alvum movere poſſe. Eſto igitur in morbis melancholicis inſigne cordiale. Quapropter P. J. Faber Myrothec. ſpag. l. 9. c. 6. ut vires ſuperaret auri potabilis communis in reficiendo corpore, in reſtituenda ſanitate, & morbis omnibus quibuscunque curandis, confectio alchermes; chymicam ejus præparationem docet, & in eam ſal lapidis lazuli aſſumit.

CAPUT IX.

De uſu medicinali Cærulei nativi, integri, externo.

Lapis lazuli *maniacis conducit*, è collo ſuſpenſus: Joh. Th. Tabernæm. Hydrotheſ. l. 1. part. 1. c. 80. pag. 454.

Quando ſuſpenditur ad collum infantis, *removet ab eis timores, terriculamenta, phantaſmata*, vel *nocturnos pavores* ac *nocentes caſus*. M. Silvatic. Pandectar. f. 118. Fr. Rueus de gemmis l. 2. c. 21. O. Worm. Muſei l. 1. ſ. 2. c. 9.

Quando lapis lazuli ſuſpenditur ſuper infantes,

tes, *removentur timores* ab eis. Serapio ſimpl. c. 389. ex Linacro. H. Montaus de infantium febribus pag. 12. ex Serapione. Quod idem etiam lapis Armenus præſtare fertur: O. Worm. l. c.

Albertus ſuſpendi ſuper infantium cunabula ſcribit, Vide ſupra cap. 2. differentiam 2.

Geſtatus lazulus *confert viſui & animam exhilarat.* Fr. Rueus l. c. Renodæus de mat. med. l. 2. ſect. 2. c. 8. O. Worm. l. c.

Lapis lazuli ſuſpenſus *uterum roborat:* J. C. Claudin. conſ. 112.

Brachiis alligatus *abortum præcavere creditur:* Plater. obſ. l. 3. pag. 700. collo appenſus prægnantes ab abortu adſerere perhibetur. Volunt autem appetente partu ſemoveri. Fr. Rueus l. c. O. Worm. l. c.

Idem etiam de lapide Armeno narratur. O. Worm. l. c.

Fœtum retinet: Zecchius conſ. 86. p. 422. Chr. Meurer in regim. peſtis gravidarum, pag. 24.

Superſtitioſum eſt nimis, quod de eo multi ſcripſerunt, *hominem quippe blandum, divitem & benè fortunatum aſſerentes*, qui illum geſtarint. Renod. l. c.

Si quis autem ab ipsâ Lunâ beneficium & à Venere poſcat, tempora ſimilia obſervare debebit. A Venere quidem per animalia ſua, quæ diximus, (cap. præced. turtures, colum-

bas & motacillas,) & per corneolam & ſapphirum, lapidemque Lazuli &c, Marſil. Ficin. de vitâ cœlitus comparandâ l.3.c.2.

Hodiè lapis lazuli refertur inter *gemmas ſanitatis*, ut vocant, & *multos morbos avertere creditur*. Idcircò cum aliis gemmis etiam armillis ſeu bracchialiis includitur. B. à Boodt de lap. & gemm. l. 2. c. *122*.

Fr. Bacon. Verulam. commendat armillas ex lapide lazuli, ad refrigerandum: Sylv. ſylvar. cent. 10. §. 961.

CAPUT X.

De uſu cærulei nativi mechanico, & cæruleo factitio.

EX lapide lazuli & lapide Armeno, ſpeciebus Cærulei nativi, colorem præparari, Azurum, cæruleum, vel cyaneum ultramarinum vocatum, ſupra cap. 2. & 7. diximus.

Eſt autem calor ille vel nativus, vel factitius. Nativus ex prædictis lapidib. præparatur.

Tingitur autem omne cæruleum, & in ſuâ coquitur herbâ, bibitque ſuccum. Reliqua confectura eadem quæ chryſocollæ. Ex cæruleo fit quod vocatur lomentum: perficitur id lavando terēdovè, & hoc eſt cæruleo candidius, Plin. l. 3. c. *13*.

Factitium cæruleum veteribus celebrabatur

tur Ægyptium & Puteolanum. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 20. Vitruv. Architecton. l. 7. c. 9. Factitium ultramarinum, quod ex Hiſpaniâ & Thraciâ invehi dicitur, habet Kentm. p. 17.

Factitius vel fictitius color autem jam ex aliis rebus paratur, ut 1. ex argento, qui pretioſior nativo. Conficiendi rationem vide apud Agric. de nat. foſſ. l. 9. c. & 7. & 17. Joël. Pract. T. 5. l. 2. pag. 60. G. Fallop. Secret. l. 3. t. 66. §. 5. 6. 7. 12. pag. 218. 219. Mizald. memorab. cent. 2. §. 32. & cent. 6. §. 23. Alex. Pedemont. de Secretis l. 5. pag. 207. J. Gorræum defin. med. τῷ κ. fol. 251. J. B. Birellum in Alchym. novâ, ed. Uffenbachio l. 11. c. 112. 113. 114. 115. 117. 118. Schnurrn Kunſtbuch pag. 414.

Verùm de hoc forſan aliquis Dnn. Collegarum Naturæ-Curioſorum in argento tractando uberius aget. 2. ex venâ plumbi cinerei ſeu Wismuthi uſtâ. Mattheſ. Sarept. conc. 9. pag. m. 461. qui figulos Saffranfarb vocare dicit. 3. Azurum, ut vocant, commune ſic facies: Accipe ſalis ammoniaci uncias tres: æruginis ſeu viridis æris, uncias ſex: pulverentur & miſceantur cum aquâ tartari, ut fiat ſpiſſamentũ. Deinde mittantur omnia in phiolam vitream ita clauſam ut nihil exſpiret, & calido fimo per dies octo ſepeliantur. Ubi extraxeris reperies æruginem converſam in optimum azurum & cæruleum ſeu cyaneum. Mizald. memorab. cent. 2. §. 81. ex G. Fallopii Secretor.

 l. 3.

l. 3. t. 66. §. 4. pag. 217. J. B. Birell. l. c. c. 98.

Salis ammoniaci part. 1. æruginis part. 2. ceruſſæ parum, miſce cum oleo ♀ri, inde vitro, clauſum optimè inde pani, & immitte furno usque dum panis coctus ſit. Idem Birell. c. 99. talcum vel glaciem Mariæ ſali Ammoniaco & ærugini adjungit c. 101.

4. Fit etiam cæruleum per fraudem. Indico in aquâ reſoluto, & in cretam tritam infuſo: aut viola arida, ut Plinius, decocta in aquâ, ſuccoque per linteum expreſſo in Eretriam cretam. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 20. ex Plin. l. 33. c. 13.

5. Calcem vivam & acetum miſce probe, in ollâ benè lutatâ pone in fimo equino per dies 9. exime & in ſuperficie invenies Azurum, quod aufer; reliqvum iterum ſepeli in fimum, & denuo collige Azurum. G. Fallop. l. c. §. 2.

J. B. Birellus Indicum admiſcet, & Cæruleum Venetianum vocat: Alchym. nov. l. 11. c. 110.

6. Sulphuris vivi ℥ij. & argenti vivi ℥iij. miſcentur, in vaſe benè clauſo coqvuntur ſuper igne, donec fumum non amplius emittant, poſtquam refrixerint in fundo invenies Azurum G. Fallop. l. c. §. 3.

Modum, quô ex argenti vivi partibus tribus, ſulphuris partibus duabus, ſalis ammoniaci factitii parte unâ conficiatur, deſcribit Agric. de nat. foſſ. l. 9. c. 17. J. B. Birell. l. c. c. 105.

Ex ☿io, 🜍re, plumbo factitio, Waſſerbley

teſtis

teſtis ovor.calce vivâ, per ſublimationem. B. Schnurrn Kunſtbuch. p. 415.

Ex argento vivo ſublimato &(id verò incuriâ typographi omiſſum) parat J. B.Birell.l.c.c.90.

Ex mercurio ſublimato, ſulphure, ærugine, ſale ammoniaco. Idem Birell. c. 96.

℞. argenti vivi ℥ij. plumbi, ſalis Ammoniaci ana ℥j. miſce & in tigillo igni impone: cum emittit fumum cæruleum, remove ab igne, frange vas, & in frigefacto invenies azurum. G. Fallop. l. c. §. 8. J. B. Birell. l. c.c.104.

7. Fit ex ære uſto, ſulphure, fecibus vini, cum aceto & urinâ mixtis. G.Fallop. l.c. §. 9. Birell. l. c. c. 103.

8. Ex calce vivâ, limatura cupri, ſale Ammoniaco. Fallop. l.c. §. 10.

Ex calce vivâ, vitriolo Romano & ſale Ammoniaco. Birell. l. c.c.109.

9. Ex limaturâ orichalci vel minerâ cupri & alumine rupeo. Fallop. l. c. §.11.

10. Hodiè communiter paratur ex cadmiâ foſſili, Kobolt.

11. Ex glebâ Volaterranâ pictores cæruleum componunt. J. Jonſton. not. regni miner. tit. 2. c. 5. membr. 2. pag. 96.

Modos autem colori ultramarino cæruleum colorem augendi, purificandi, vel deperditum reſtituendi, vide apud eundem G. Fallop. l. c. t. 68. & 69. pag. 220. & 221. J.B. Birell.l.c.c. 81. 82. 95. 107. Vide etiam ſupra cap. 7.

Azurum vero ultramarinum legitimum ab adulterino & factitio diſcernetur, ſi ſupra ignitum ferrum non aduritur, nec in eo lapis ullus reperitur. Mizalt. memorab. cent. 3. §. 36. G. Fallop. Secret. l. 3. t. 67. Plin. l. 33. c. ult.

Si ſuper ferrum ignitum & perpolitum, colorem intenſius cæruleum nanciſcatur, cum adulterinum comburatur. J. B. Birell. l. c. c. 77.

Alii colori ultramarino ſuperponunt folium ſalviæ, & huic ovum recens: ſi colorem retineat, bonus eſt color; ſin in terreum mutetur, falſus. Birell. l. c. c. 78.

Artifices lapide lazuli artificioſè utuntur. Cantharidem ex eo tàm affabrè, tamque graphicè conflatam, ut eminus veram judicarit, pulvere nimirum aureo tam appoſitè, quod in animante fulvum natura fecit, imitante, vidit Fr. Rueus l. c.

Quidam ſcalptor Ferrariæ in lapide lazuli Cicindelam ſcalpſit, miro artificio, ita ut cauda extrema accenſa videretur, cum in guttam auream exiret. Geſner. de fig. lap. p. 43. 44. ex A. M. Braſav. exam. ſimpl. p. m. 729.

Chriſtoph. Weickmann, in ſuo Exoticophylacio Ulmæ ſervat Amuletum ex lap. laz. formâ & magnitudine ovi, in quo inciſa Palladis figurâ, genium in manu tenens, pag. 33.

Qui religionis gratia, vel ex voto, Mecham proficiſcuntur, Sacquaz Turcis dicti, utrem aquâ plenum circumferunt, è quo ex vaſe æreo deaurato, præter chalcedonios & Jaſpides etiam lapidibus

pidibus lazuli, ad majorem bibentium ſuavitatem, ornato, ſitientibus & petentibus aquam, porrigunt. Nicol. Nicolai itinere in Turciam l. 3. c. 22. Vide N. Hönigers Hoffhaltung des Türck. Kaiſ. part. 1. l. 2. c. 16.

Ex lapide lazuli arte elicitur aurum. J. Manard. B. à Boodt l. 2. c. 139. Ol. Worm. Muſei l. 1. ſ. 3. c. 2. Cum mercurio hoc peragit J. B. Birell. alch. novæ l. 11. c. 89.

Ex cæruleo aurum conflatur Lauterbergæ & Goldbergæ in Sileſiâ. Encel. de re metall. l. 2. c. 22. & 21. & l. 1. c. 4.

Aurum purum in lapide vocato Armenio ex monte Carpatho: Gediegen Gold in einem Laſurſtein/in arcâ rer. foſſil. habet Kentm. pag. 58.

Lapidem lazuli auriferum calcinatum, ex Veſuvio: Ein ausgebrandten / goldhaltigen Laſurſtein/habet Chr. Weickmann in Exoticophylacio Ulmenſi pag. 23.

Argentum orientale ſapphiro, lapidi cyaneo & proprio pyriti adhæret. J. Jonſt. not. regni min. tit. 2. c. 5. membr. 1. p. 88.

Lapis cyaneus fingitur hoc modo. In liquefactum cryſtallum terræ illius puſillum immittas, quam in Saphyro dicemus, (eſt autem cærulea terra illa, quam figuli *Zapharum* vocant) ritè firmâ rudicula præmiſcendo, dum combibat, & per diem relinquatur, paria deinde argenti calcis pondera remiſceto, per conſimile tempus igni

I 3 detinen-

detinendo. J. Wecker. de Secret. l. *n*. c. 5. p. 586.

Si vero ſapphirum mentiri volueris, cryſtallo in hunc uſum præparato, lapidem lazuli addito. Alex. Pedem. Secret. l. 6. p. *249. 250.*

CAPUT XI.

De dignitate & valore lapidis lazuli.

Lapis lazuli eandem autoritatem habet, quam Sardonyx, ac eodem pretio, aut paulò majori divenditur. Fragmenta hujus lapidis, ſi libram pendeant, 10. thaleris vendi, ut cæruleum ſeu ultramarinus color inde fiat, ſolent. B. à Boodt de lap. & gemm. l. 2. c. 122.

In noſtrâ officinâ pharmaceutica Svinfurtenſi taxatur ℥ß. lapidis lazuli pro 4. ſolidis; lapidis Armeni, pro 12. cruciatis. In Hennebergicis lapidis lazuli ℥j. pro 3. groſſis: Armeni pro 1. groſſo. In Baſilienſi lap. laz. ℥ß. 10. ſolidis. Bremenſi lapidis Armeni ℥ß. pro 6. groſſis, lazuli pro 8. groſſis. Heilbronnenſi lap. lazuli ℥j. pro 6. cruciatis. Wittebergenſi lapidis Armeni ℥ß. pro 2. groſſis, lazuli pro 4. groſſis. Solebant libræ Armenii treeenis nummis taxari. Inventa per Hiſpanias harena eſt, ſimilem curam recipiens. Itaque ad denarios ſenos vilitas rediit. Plin. l. 35. c. 6.

CAPUT XII.

De Chryſocollæ nomine.

CHryſocolla è ſuccorum concretorum quarto genere. Agric. de nat. foſſil. l. 3. c. 1.

χϱυσοκόλλα, à χϱυσὸς, aurum, & κόλλα, gluten; quaſi *auricula* vel *auriglutinum*; Avicennæ *capiſtrum auri*. l.2.canon. tr.c. 704. *Auri ſanies* etiam vocatur, quod ſit ex humore in puteis per venam auri defluente concreta.

Nomen hoc Græci primò impoſuerunt factitiæ, quâ aurum cum auro conglutinatur, atq; inde in nativam & alterius generis factitiam derivatum, propter quandam coloris ſimilitudinem, quæ his ſolet eſſe cum illâ. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19.

Mea ſententiâ, chryſocolla nativa factitiæ nomen dedit, cum hæc ſimiliter, ut illa, aurum cum auro conglutinet, quamvis colore ſint diſſimiles.

Amphitane alio nomine appellatur chryſocolla in Indiæ parte, ubi formicæ eruunt aurum, in qua invenitur auro ſimilis quadrata figura, affirmaturque natura ejus quæ magnetis, niſi quod trahere quoque aurum traditur. Plin. l.39. c. 10.

Sunt autem formicæ ibi ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruunt, quos leoninos habent. Jul. Solin. polyhiſt. c.43.

Verùm fabula hæc poëtica de formicis allegoricè intelligenda eſt, de ſedulis nimir. metallor. foſſorib. Vide J. Mattheſ. Sarept. conc. 2. p.79. 80.103.& ſeqq.

Fortè marchaſitæ aureæ ſpecies, quæ facie quadratâ & quaſi auro tincta apparet. B. à. Boodt de lap. & gemm. l.2.c.256. Sed videtur hic la-

pis fictitius, cum nunquam inventus ſit qui aurum trahat. Idem ibid. c. 303. vel ea eſt chryſocolla, quâ Heliogabalus circi pavimentum ſtravit. Vide cap. 19.

CAPUT XIII.

De differentiis Chryſocollæ.

I. C*Hryſocolla eſt vel nativa, vel factitia.* Tincar aliud eſt minerale, & aliud eſt artificiale. Avic. l. c.

Nativam omnium fermè doctorum ſententiâ ignotam his temporibus eſſe, ſcribit H. Solerius in ſcholiis ad Aët. tetr. 1. ſ. 2. c. 81. quæ conſcripſit anno 1549.

Veteres chryſocollam viridem habuiſſe, jam non amplius reperiri, uti etiam neminem factitiam viridem præparare poſſe, ſcribit J. B. Birell. alch. nov. l. 1. c. 115. Alex. Pedemontan. de Secretis l. 6. pag. 228.

Sed noſtris temporibus ſatis notam eſſe, in ſequentibus patebit.

De factitia chryſocollâ cap. 18.

Nativa, foſſilis vel metallica chryſocolla, vocatur *Viride terræ, Viride montanum.*

Germanis eſt, Berggrün/ Steingrün; & quia etiam lapidibus, imprimis fiſſili adhærens invenitur. Schiefergrün.

BergBorres. J. Th. Tabernæmont. videtur differentiam conſtituere inter Berggrün & Schiefergrün oder BergBorres / dum Hydrotheſ. part. 2. c. 35. pag. 545. agit von dem Berggrün

grün Waſſer: c.36.pag. 546. Von dem Schiefergrün oder Berg Borres Waſſer: Cum tamen unum idemque hæc nomina ſignificent, nimir. chryſocollam: idcirò in diverſis capitibus eædem vires recenſentur.

Medici ἄκεσιν vocarunt, (*Aceſin* Plin.l.33.c.5.) quaſi medicabilem, ſanabilem: ἄκος enim medicamentum eſt; & ἀκεστὰ dicuntur ab Hippocr. τὰ ἰατὰ, ἰάσιμα, h.e. curabilia. J. Gorræus def. med. fol. 16. A. Foës Occ. Hipp. fol. 16. & ἄκεσις, curatio, medela; ἀκέεσθαι, ſanare. Foëſ. l.c.

Arabes *Tincar Thincar* appellarunt.

Lazacalaap, id eſt, *conſolidatura auri*, & in Arabico dicitur *cumbar*. Averr. ſimpl.c.43.

Hebræis eſt *Borith* vel *Borris*. Vid. Mattheſ. Sarept. conc. 9. p.m. 549. 550.

Borax vel *Borrax* etiam vocatur Mauritanis.

Italis eſt *Chryſocolla*.

Hiſpanis *Atincar* & *Borrax*.

Borax ſpecies eſt bufonis, (rana rubeta, vel rubeta cornuta) in cujus capite narrant inveniri lapidem ejusdem nominis, qui alias vocatur Crapodina, Chelonitis, batrachites, niſe, nuſe. Eſt autem hic borax vox corrupta à Græcâ βάτραχος. Vide Geſner. hiſt. anim. l. 2. f. m. 66. 67. 70. 71. 72. Ideoque nihil commune habet cum noſtro borace.

Quapropter pro differentiâ dicendum eſſet, borax mineralis & borax animalis.

Nicolaus Myrepſus *Borachium*, βοράχιον, lapi-

pidem nominat in unguento de citriis, ad livores & lentigines faciei. Sed chryſocollam intelligit, quæ hodiè etiam vulgo ubique borras appellatur. Geſner. l. c. f. m. 72.

Vide infra cap. 17. & 18.

II. *Differt chryſocolla loco natali.* Eſt enim Armeniaca, Macedonica, Cypria. Dioſc. l. 5. c. 64. Plin. l. 33. c. 5. Hiſpanica. Plin. l. c. Hungarica: Sileſiaca: Tyrolenſis: Miſnenſis. Reperitur autem in dictarum regionum metallis ærariis, plumbariis, aurariis. Plin. l. 33. c. 5. A. M. Braſavol. exam. ſimpl. p. m. 800.

Naſcitur in ærariis metallis: nam ex ære tantùm fit. Quocirca ſi argentariis, aurariis oritur, eorum venas certum eſt eſſe cum ære permiſtas. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. & ex hoc J. Gorræus def. med. τῷ χ. f. 514.

Hinc in venis ſi inveniatur auri & æris eſt indicium. Agricola de re metall. l. 5. f. m. 78.

Ita ut nihil aliud ſit, quam metallum æris putrefactum. Fallop. de metall. c. 31. C. Schwenckf. de foſſil. Sileſ. l. 3. p. 374. ex Plinio qui chryſocollam nil aliud eſſe ſcribit, quam venam putrem.

Minera ejus eſt in riperiis maris. Serap. de temp. ſimpl. c. 413.

III. *Differt chryſocolla nativa colore.*

Color autem cum omni nativæ ſit viridis, tamen eo multum differt. Etenim alia viret ad ſatietatem, quæ cum adhuc materiæ metallicæ adhæreſcit, ad ſmaragdi viriditatem videtur accedere,

cedere,quam longè optimam eſſe cenſent. Alia habet viriditatem multùm dilutam, quam viliſſimam. Alia mediam,quæ tenet medium locum. Agric. de nat. foſſ. l.3.c.19.& ex hoc J. Gorræus l. c.

Quæ ſaturato colore viret, (ut mea fert opinio) in ærariis tantùm metallis foditur: quæ nigricat in plumbeis: quæ albicat in argenteis: & quæ palleſcit,in aureis. Unde mihi facilè perſuaſum eſt,chryſocollam ſibi varium colorem vendicare,pro metallorum, in quibus foditur, ratione.Matthiol.com̄. in Dioſc. l. 5.c.64. Girol. Caleſtani nella Speciaria part. 1. pag.*36*.

Verùm chryſocollam omnem ex ære eſſe, & colorem debere viridem habere, quamvis aliam aliâ intenſiorem, jam ex Agricola dictum.

Chryſocolla artificialis colorem habet alia viridem, alia album.

IV. *Differt chryſocolla nativa conſiſtentiâ.*

1. Reperitur vel per ſe plerumque arenæ ſimilis. Agric. de nat. foſſ. l.3.c.19. J.P. Pernumia Phil. nat. l.*3*. c. *11*.

Chryſocolla nativa globoſa Schmalkaldica, eſt inter mea naturalia.

2. Vel materiæ metallicæ adhæret. l. P. Pernumia l. c.

Ut Sneebergi in Miſnia lapidi metallico ærario; Berggrün in einem Kupfferertz. Agric. de nat. foſſ. l.*3*. c. 20. Kentmann.pag.15. B.Albin. Chron. Miſn. metall. tit. 24. fol. 185.

Pyriti

Pyriti ærario Cuperbergi in Sileſiâ:Schwenckfelt de foſſil. Sileſ. l. 3.pag.374.

Lapidi ærario cornuto; an einem Hornſtein; Cupferbergi & ad Schatzlarium:Schwenckf.l.c.

Pyriti purpureo, ſpongioſo, Neylenſi Fichtelbergico; einem armen KupfferErtz oder braunen Schalen; qualis apud me eſt.

Lapidi fiſſili Islebiano:Kentm.pag 15. & 68.

Lapidi fiſſili æroſo Sileſiaco in Hermansſeiffen ſub nigro monte: angeflogen Berggrün an einem Kupfferſchiefer.Schvvenckf. l. c.

Glebis metallicis cum cæruleo: Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 20. Vide ſupra cap. 2.

Spatho ſeu ſilici metallico: Schvvenckf. l.c.

Lapidi Armeno: B. à Boodt l. 2.c.142.

Molochiti Schvvacii in alpib. Tyrolenſibus: Agric. l. c.

Chryſocolla nativa ex alpibus Rhæticis cum Molochite ſtriatim poſita: Ein ſchwatziſch Berggrün / mit einer Malachit ſchichtweiſe vermengt.Kentmann.p.16.

Fluores purpurei non pellucantes, è quibus chryſocolla effloreſcit. Darinn berggrün wächſt Kentmann. p. 44.

Atque hinc abraſa chryſocolla ſimilitudinem gerit ejusdem arenæ, quæ tamen interdum exigua abradi poſſit: Agric. de nat. foſſil.l. 3.c.19.

De amicitiâ chryſocollæ cum cæruleo, ſupra cap. 2. dictum.

3. Vel aquæ dictas ſpecies lambunt & chryſocollam

ſocollam eluunt, quæ pulveri ſimilior ſubſidit. Agric. de nat. foſſ. l. 3 c. 19. Vide cap. ſeq.

4. Borrax duplex eſt. Aliud quod pingue dicitur, quia nigrum & ad ſaponis mollis quaſi colorem & conſiſtentiam accedit. Aliud eſt album, & in formam ſalis vel aluminis concretum, & diaphanum, quod arte tale redditur. Rondel. pharmacopolar. offic. pag. 1246.

An prius eſt paſta chryſocolla, de qua capite 18. poſterius chryſocolla factitia, imprimis Borrax Venetus?

CAPUT XIV.

De modo generationis Chryſocollæ.

CHryſocolla nativa *vel ſponte fit, vel curâ hominum. Sponte*, cum aquæ jam dictas ſpecies lambunt, & chryſocollã ſecum rapiunt, quæ poſtea ſubſidens colligitur: quod Neuſolæ vel Biſtriciæ, in Carpatho, monte Daciæ vel Tranſylvaniæ fit. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19.

Ad oppidum Biſtriciam, Germani Neuſolam vocant, ubi fodinæ ſunt æris opulentiſſimæ, quæ nunc appellantur regiæ, quod in iis impẽdio Regis opera fiunt, cuniculus quidam reddit aquam viridem, ex quâ ubi ſubſedit, chryſocolla colligitur. L. Hulſius Chronolog. c. 26. pag. 14. M. Sebaſt. Schröter, hiſtor. totius orbis terrar. deſcript. T. 1. l. 1. c. 10. pag. 779. ex Georgio Wernhero Hungaro.

Reperitur lambita ab aquis ab ipſis metallicis

cis ſeparata. J. P. Pernumia phil. nat. l. c. 11.

Fit vel aquâ aliove liquore acidulo fluente in venam metalli. Schvvenckf. de foſſ. Sileſ. p. 374.

Curâ hominum fiebat quondam, immiſſis in venam aquis leviter hyeme totâ usque in Junium menſem, dein ſiccatis in Junio & Julio. Plin. l. 33. c. 5. & ex hoc Agricola l. c.

Hinc inſigniter errat Platearius, dum de ſimpl. med. lit. B. pag. m. 228. ita ſcribit: Eſt autem gummi cujusdam arboris naſcentis in transmarinis partibus. In æſtate effluit quædam viſcoſitas pura, & ex actione caloris condenſatur & induratur. Effluit autem inde quoddam impurum, quod aliquantulum molle eſt & feculentum, & quaſi terreum. Borax eſt eligenda, quæ alba eſt, & lucida, & dura, & ſi habeat ſuperfluitates abjiciantur. Et craſſius adhuc idem Platearius in expoſ. & gloſſ. in Antidotar. Nicolai fol. m. 226. Gummi eſt arboris, quæ in orientali plaga reperitur: dum autem colligitur, cum fæce quadam & impuritate colligitur: abjicienda eſt tamen impuritas cum ponitur in medicinis. Vel quod verius eſt, borax eſt fæx olei, & fit in hunc modum apud Saracenos. Servatur oleum 40. ann. aut plures, in quo tamdiu ſervato duplex fæx invenitur, una inferius, quæ dicitur amurca, alia ſuperius, quæ dicitur borrax, & eſt pejor: hæc enim ſolidam habet ſubſtantiam, in ſaccellis poſita abluitur, donec impuritas remove-

moveatur & fiat alba: deinde ad ſolem deſiccantur, & fit albiſſima: eligenda eſt purior, albior & clarior, intus conformis: ſi etiam lavetur & exiccata in medicinis ponatur melius eſt, diu ſervatur.

Ex quibus apparet, cum boracem naturalem, qui viridis eſſe debet, non agnoviſſe, ſed factitium, quem à candore commendat, & naturalem putat; tamen & in hoc à vero aberraſſe.

CAPUT XV.

De delectu chryſocollæ nativæ.

LAudatiſſima cenſetur 1. ratione loci natalis, Armeniaca: ſecundum locum ſibi vendicat Macedonica: & proximum Cypria: quo in genere præfertur pura: damnatur quæ terram aut calculos collegerit. Dioſcor. l.5.c.64. Plin. l. 33. c. 5. Hungarica jam primatum obtinet.

2. Ratione coloris: (ex quo, ut & viribus, rectius ſpectatur bonitas, quam ex loco, in quo naſcitur, æſtimatur: Agric. de nat. foſſ. l.3.c. 19.) colorem porri quam ſimillimè reddens, qualis Armeniaca. Dioſcor. l.c. Matthiol. comm. in Dioſc. l.c. ſumma commendationis eſt, ut colorem herbæ ſegetis lætè virentis quam ſimillimè reddat. Plin. l.33. c. 5. quæ ad ſmaragdi viriditatem accedit. Agric. de nat. foſſil. l.3 c. 19. qualis fuit illa pulcherrima, Sneebergi in Miſnia eſfoſſa, colore ſmaragdi & praſii. P. Albin. Chron. Miſn. metall. l. c.

3. Ratione metallorum laudatiorem eandem

in

in æratiis metallis, & proximam in argentariis fieri compertum eſt. Invenitur & in plumbariis, vilior etiam auraria. Plin. l. 33. c. 5.

CAPUT XVI.

De præparatione Chryſocollæ nativæ ad medicinam, ejuſq; ſuccedaneo.

AD uſum medicum præparatur chryſocolla nativa lotione & uſtione.

Ratio lavandi hæc eſt. Tuſam infusâ aquâ, mortario expaſsâ manu ad pilam vehementer fricato: & ſtatim quàm conſederit, colato. Alteram infundens aquam, rurſum terito: hæc viciſſim proſequere, donec pura ſynceraque ſpectetur: dein ſiccato in ſole, & ad uſus recondito. Dioſc. l. 5. c. 64. & ex hoc Della materia medicinale l. 2. pag. 250. Girol. Caleſtani ſpeciaria part. 1. pag. 164.

Quod ſi urere volueris, ex eâ terens quod ſatis eſſe videbitur, patinis ſupra carbones apponito: & alia facito, quæ ſupra diximus. Dioſcor. l. c.

Chryſocollæ ſuccedaneum eſt lapis Armenus. Dioſc. l. 5. c. 65.

CAPUT XVI.

De viribus chryſocollæ nativæ.

CHryſocolla *excaleſacit.* Dioſc. l. 5. c. 64. Tincar eſt *calidum, ſiccum, ſubtile.* Serapio ſimpl. c. 413. *calidum & ſiccum in quarto gradu.* Platear. ll. antea cc. Baurach *calidus eſt & ſiccus.* Rhaſ. ad Manſ. l. 3. c. 29.

Eſt

Eſt facultate admodum *digerente deſiccanteq;.* Galen. 9.ſimpl. Schvvenckf. de foſſil. Sileſ. l. pag. 374. *diſcuſſoriâ utique ſatis eſt & ſiccatoriâ.* Aët.tetr. 1. ſ. 2.c. 81.

Modicè corpus mordendo exeſt. Dioſ.l.c. Ex iis eſt, quæ carnem liquant, non tamen valenter mordicat.Galen.l.c.Ex eorum numero eſt, quæ carnes eliquant, non tamẽ fortiter mordet.Aët. l.c. Ejus virtus eſt diſſolutiva abſque gravi mordicatione,& deſiccat.Averr. ſimpl. c. 43.

Inter *putrefacientia, pyrotica vel cauteria potentialia* refertur à Fallopio de Cauteriis cap. 11. C. Bartholino ſyntagm. de cauteriis c.14.M. Glandorpio, Gazophylazio polyplus. Fonticulor. c. 4.pag.16.& 19.ex J.Fernelii meth.med. l.6.c.18.

Chryſocolla naturalis & artificialis eandem vim (*ulcera maligna reſiccandi & adſtringendi*) habent.Aët.tetr. 4. ſ.2.c.41.

Idcircò aptiſſima *ulceribus, quæ curationi contumaciter reſiſtunt.* Atque factitia quantò magis exiccat, minus vero mordet quam nativa, tantò magis tenues habet partes. Quod ſi uſta fuerit, multò tenuior fit, ſicut aliæ res foſſiles. Agric. de nat. foſſ. l. 5.c.19. Averr.l.c.Matthiol.comm. in Dioſc. l. 5. c.64.

Purgat vulnera. Dioſc. l.c.Plin. l.c. (oſc.l.c.

Dos chryſocollæ *ad purgandas cicatrices.* Di-

Miſcetur & collyriis *ad cicatrices oculorum.* Plin. l. 33.c.5.

K Hinc

Hinc *cicatrices emendat & ſubtiliat* in ungvento citrino vel citrio Nicolai: de quo unguento cap. ſeq.

Miſcetur viridibus emplaſtris *ad dolores mitigandos, & cicatrices trahendas.* Plin. l. c. Emplaſtro fulvo Galeni *ad magna vulnera glutinanda*, apud Aët. tetr. 4. ſ. 2. c. 44. *medicamento ad carbunculos.* Aët. tetr. 4. ſ. 2. cap. 58. *unguento ad ulcera crurum ſcorbutica.* Vide Sennert. de Scorbuto 1æ. edit. pag. 159.

Excreſcentem carnem coërcet. Dioſc. l. c.

Ad *oſſa corrupta*, ea à ſanis ſeparantia numeratur etiam chryſocolla à Sennerto Pract. medic. l. 5. part. 2. c. 13.

Confert *corroſioni dentium*, & *occidit vermes, qui ſunt in eis*, & ſedat pulſationem eorum, & habet in hoc proprietatem mirabilem. Serap. ſimpl. cap. 413.

Adſtringit chryſocolla. Dioſc. l. c.

Hinc immiſcetur emplaſtris *inteſtinorum hernias agglutinantibus.* Aët. tetr. 4. ſ. 2. c. 24.

Vomitiones concitat, Plin. l. 33. c. 5. *& necem inferre poteſt.* Dioſc. l. c. Modica pota movet vomitionea: interficit multa. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19.

Alvum ſolvit & vehementer vomitum concitat. Intra corpus non tuto ſumitur. Schvvenckf. l. c.

Baurach *vomitus provocativus exiſtens*, *ventrem cum ſupponitur mollem reddit.* Rhaſ. l. c.

Datur & in *angina, orthopnœave* miſcenda cum melle. Plin. l. 33. c. 5.

Aquæ,

Aquæ, quibus miſcetur chryſocolla vel corporaliter vel ſpiritualiter, intra corpus non ſunt ſumendæ, ob vim corroſivam, & quod vomitus cieant & viſcera interiora lædant. Extus autem in inſeſſu vel balneo uſurpatæ, vim habent *calefaciendi, exſiccandi, mundificandi, adſtringendi, diſcutiendi, conducunt oculis lachrymantibus & rubore ſuffuſis, aperiunt obſtructiones pulmonum, renum, veſicæ; promovent urinam; expellunt arenulas & calculos è renibus & veſicâ; ſiſtunt fluorem album mulierum; rectificant uterum humidum; mitigant pruritum cutis & partium obſcænarum, tàm virorum, quàm mulierum; curant impetiginem, ſcabiem; conſolidant ulcera antiqua; diſcutiunt tumores vel œdemata crurum & partium genitalium; mitigant dolores coxendicis; collutione ſæpius repetitâ ſanant ulcera oris & gingivarum, præſertim ſcorbutica.* J. Th. Tabernæm. Hydrotheſ. part. 2. c. 35. & 35.

Virtus chryſocollæ eſt ſimilis virtuti lapidis lazuli, ſed fortior eſt eo. Vide ſupra cap. 8.

CAPUT XVIII.

De chryſocollâ factitiâ.

Fit hæc variis modis. I. Fit ex chryſocollâ nativâ durâ, tinctâ herbâ luteâ, ob id *herbacea* dicta, atque ea laudatiſſima eſt, nativâque precioſior. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19.

Ejus conficiendi rationem exponit Plinius: Nativa duritiâ maximè diſtat, luteam vocant. Et tamen illa quoque *herba, quam luteam appel-*

lant,tingitur. Natura eſt, quæ lino lanæ v
ſuccum bibendum. Tunditur in pilâ, dc
tenui cribro ſecernitur: poſtea molitur, a
inde tenuis ſic (alia exemplaria habent, tc
& ſicca) cribratur. Quicquid non transm
repetitur in pilâ,deinde molitur. Pulvis
per in catinos digeritur, & ex aceto macer
ut omnis duritia ſolvatur: ac rurſus tund
dein lavatur in conchis,ſiccaturque. Tunc
gitur alumine ſchiſto, & herbâ ſupra dictâ,
giturque antequam pingat. Refert, quan
bula docilisque ſit. Nam niſi rapuit colo
adduntur & *ſchytanum* & *turbyſtum*: ita vo
medicamenta ſorbere cogentia. Cum ti
re pictores, *orobitin* vocant, ejusque duo ge
faciunt: luteam,quæ ſervatur in lomentun
liquidam globulis ſudore reſolutis. Hæc ut
genera in Cypro fiunt. Plinius,ut dictum
c.5. & ex hoc Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. e
gricola J. Gorræus defin. medic. τὸ χ.fol. 5
Videtur autem Plinius ex vulgatâ opin
loqui,cum dicat, luteam putant, à luteâ h
dictam. Veriſimilius enim eſt, præparatic
floridum colorem acquirere, qualis eſt h
ſegetis lætè virentis. Cæſalp. l. 2. c.63.
Qui propter caritatem chryſocollâ uti n
poſſunt,ii uſurpant herbam luteam,quæ ele
tem colorem viridem præbet. Vitruv. ar
tect. l. 7. c. 14. Germanicè à G. Rivio ve
Latina verba ita citant autores: Qui non

ſunt chryſocollâ propter caritatem uti, herbâ, quæ Luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & utuntur viridiſſimo colore. Plinius verò: Luteam putant à luteâ herbâ dictam, quam ipſam cæruleo ſubtritam, pro chryſocollâ inducunt, viliſſimo genere atque fallaciſſimo. l. 33. c. 5.

Tùm demum igitur *herba lutea* (quæ *Lutea Plinii, Luteola, Luteum herba Vitruvii*, potius *Lutum herba Dodonæi, Pſeudoſtruthium* & Sterck Kraut Camerarii in Matthiolum, vocatur) viridi colore inficit, ſi cæruleo colori ſuperinducatur: ſola vero per ſe, cum alumine decocta, luteo tantùm colore pannos laneos & lineas telas tingit. Infectores colori cæruleo, quem *glaſtum* excitavit, ſuperinducunt colorem luteum ex luteâ herbâ, & viridem efficiunt colorem. H. Crolach de Iſatide pag. 63.

Itaque errant, qui per Luteam Plinii vel Luteum Vitruvii, *Glaſtum* intelligunt, quod tamen facit Marcell. Virgilius, Victorinus, Cordus in Dioſcor. Hoc enim cæruleo tantùm colore tingit. Gu. Rivius comm. in Vitruvii l. c. Vide etiam Joh. Bauhini hiſt. plant. univ. T. 3. l. 30. c. 104. & T. 2. l. 21. c. 29.

Hoc tamen luteo, quod cæruleum effecit colorem, ſive Glaſtum fuerit, ſive aliud quid, olim corpora ſua infecerunt Britanni. Guil. Camden. Britanniæ pag. 30. 31. ex Cæſare & Pomp. Mela.

Orobitis, ὀροβίτης, verò dicitur, ab orobo vel ervo, cujus colorem imitabatur. Ervo autem

color ad flavitiem, ſivè πρὸς τὸ ξανθὸν, a
ochræ colorem accedit. R. Dodon. hiſ
mentor. legumin.c.48.

Vel *orobitis* vocatur, quod granorum er
ſtar formabatur.

Vocatur & *attrita*. Plin. l. 33. c.5.

Hâc utebantur pictores: nos verò eâ j
caremus.

Holler. Inſtit. Chir. l. 2. c. 3. boracis cæ
meminit, glaſto nimir. tincti.

II. Chryſocolla factitia fiebat in mor
æreo, cum urinâ pueri impubis, ſecundum
ſcor. l.5.c.52. & l.2.c.74. Aët. tetr. 1.ſ.2. c. 81
verr. ſimpl. c. 43. piſtillo æreo in ardentiſ
ſolis caloribus tamdiu ſubacta & ducta, d
mellis ſpiſſitudinem aſſequatur, vel ung
modo craſſeſcat. Matthiol. comm. in Dioſc
c. 74. & l.5.c. 64.

De hac Galen. l. 9. ſimpl. in æreo mor
piſtilloque æreo, ex pueri urinâ præparatu
quod quidam inter æruginum differentias
merant. Satius verò eſt ipſum præparare
pore æſtivo, aut certè aëre prorſum calido,
nam in mortario terentes. Præſtat auten
ex quo mortarium piſtillumque conficias
brum ſit. Nam quò æs tenerius fuerit, eò
circumagendo piſtillo deteritur. Vide cum
Galenum l. 10. ſimpl. de urinis.

Radix ejus eſt urina infantium, & intelli
jus, quod eſt artificiale, & eſt gluten auri.
pio ſimpl. c. 413. Vo

Vocatur hæc chryſocolla factitia *Santerna*, & *Ærugo aurificum.*

Eſtque ſecunda ſpecies æruginis factitiæ Dioſcoridi l. c.

Aurifices hâc olim aurum conglutinabant; ſed hodiè borace utuntur, ſeu quartæ chryſocollæ factitiæ ſpeciebus.

III. Fiebat Cyprio ære ex Cypriâ ærugine, & pueri impubis urina, addito nitro: quæ etiam *Santerna* vocatur. Plin. l. 33. c. 5. Agric. de nat. foſſ. l. c. c. 19.

Quæ autem pulveri ſimiliter cretâ prius ærugine tinctâ adulteratur: fiuntque ex unâ librâ multæ. Quod inventum ut fallax eſt, ita non contrarium naturæ, quæ etiam ipſa cretam inficit viridi colore. Quondam ex luteâ herbâ cæruleo ſubtritâ, chryſocollam fecerunt: ſed neutra adulterina, quoniam utraque vilis eſt, probatur. Agric. l. c. Vide ſupra in l. modo chryſocollæ factitiæ.

IV. Chryſocolla factitia eſt *Borrax officinarum pharmaceuticarum.*

Dicitur autem *Borrax vel Borax* quaſi *Baurach*, quod Arabibus eſt nitrum. Avic. l. 2. canon. tr. 2. cap. 87.

Tincar etiam Arabicè vocatur.

Gallis, *Soudure d'or. bourax.*

Italis, *Saldadura dell. oro* : *Boraſo* : *Boraxa.*

Hiſpanis, *la attincadura del oro* : *esclarimento.*

Germanis, *Burris*, damit die Goldſchmidt löten.

Polonis, *Puriſſ.* Multum

Multum quidem occupatus eſt Fallopius
metall. c. 31. in refutando Agricola, quod
racem vocarit chryſocollam, (nimir. de
foſſ. l. 3. c. 9.) cum tamen idem ferè cum te
ſpecie chryſocollæ factitiæ ſit præparandi
dus, quam nitrum ingreditur; ob quam cau
Arabes *Baurach* (Serapio ſimpl. c. 411. à quo
rax) vocarunt: ita ut nullum diſcrimen ag
ſcere poſſim, niſi quod hic non in mortari
neo præparetur.

Rendolet. aliquos mediocriter eruditos b
raci arte parato, quod ferruminat aurum, c
ſocollæ nomen indidiſſe ſcribit, non anim
vertentes, chryſocollam antiquorum color
ridi eſſe, ſive illa naturalis, quæ cum lapide
neo ex fodinis emittitur, ſive illa artific
Galeno ex urinâ vel ære, quam ſpeciem D
inter ſpecies æruginis repoſuit: in pharm
polar. officinâ pag. 1246.

A. Muſa Braſavol. putat boracem offic
rum ad chryſocollam referri: dicente H. Sol
in ſchol. in Aëtii tetr. 1. ſ. 2. c. 81.

Si quis tamen hunc ad ſalia referre volu
cum eo equidem non litigabo.

Et concedo Rondeletio, borracem nitri
ciem eſſe dicenti: loco jam allegato.

Tincar eſt ex ſpeciebus ſalium. Et in ſa
ſuo reperitur de ſapore baurach, & habet c
hoc parum amaritudinis. Serapio de ten
ſimpl. c. 413. ex Iſaac eben amram.

H

Hujus borracis variæ ſunt compoſitiones: ut J. R. ſalis ammoniaci part.i. nitri p.ii. tartari calcinati p.iij. in aceto acerrimo coq. ad ſicctitaem, ulterius in ſole ſiccandam. J.B.Birell. Alchym. novæ l. 1. c. 119.

II. Accipe ſalis Ammoniaci, nitri & tartari calcinati, ana ℥j. gummi Arabici, ſalis comm. ana ℥ij. Maſtichis, aluminis rochæ an. ℥ß. pulv. infunde urinas, & tamdiu coque, donec materia in ſalem concreſcat. M. Untzer. de ſale c.17. J. Schröder. pharm. med. chym. l.2.c.79. ex Libavii Alchymiâ.

Factitiæ ex alumine rubeo, ſale nitro, ac etiam aliis quibusdam admiſtis, copia non deficit. Matthiol. comm. in Dioſc. l. 5. c. 64.

III. R. ſalis ammoniaci, ſalis gemmæ, ſalis alcali, tartari, mellis deſpumati, ana: pulveres ſalium & tartari cum melle & lacte caprino in vaſe ferreo miſceantur, apponantur ad igniculum per dies 3. reponantur poſtea per menſem integrum, usq; dum lapidis duritiem acquirant: fracto tandem vaſe optimus Borax colligatur. J. B. Birell. l. c. c. 124.

IV. R. Nitri, aluminis rochæ, ana part. æq. liquefiant ſuper igne, pulveriſata coq. in lacte vaccino ad craſſitudinem: in vitro optimè clauſo ponantur in fimum equinum per dies 30. J. B. Birell. l.c.c.121.

V. Ex ſale alcali & urina arte paratur borax, quod ferruminat aurum. Rondel. pharmac. off. pag. 1246.

VI. Fit ex ſale petræ & urinâ puerorum commiſtis invicem, coctis & coagulatis. Untzer. l. c. Schröder. l.c.

Itzt macht man ihn zu Venedig aus Niter oder Salpeter mit Kinderharn abgeſotten / wie man bey uns auch gemeinen oder Hundboras aus Salmiach und gutem Alaun machen ſolle. Mattheſ. Sareptæ conc. 11. p.550.

VII. Alii ſacharo ſoluto addunt ſalem nitri, Sodam & Tartarum: colant per filtrum diligenter, & congelaſcere loco frigido in teſſellas ſinunt. Untzer. l. c.

IIX. Fit ex Nitro Alexandrino, vel Nitro vulgari ſoluto aquâ minerali Vitriolatâ, ita ut coletur, poſtea coquendo ad medias, materia coagulanda in glaciem cryſtallinam. Untzer. l.c.

IX. Borax Venetianus ita paratur: Lactis vaccini deſtillati lib. 2. mellis deſpumati trientem, croci ſesquidrachmam, ſalis Nitri pellucidi dulcis lib. 4. ſolve ſuper prunis, adde lixivii facti ex cinere bono & calce teſtarum ovorum lib. 3. loca in ollâ vitreatâ in cellâ per menſem, & congelaſcent in lapillos. Horum libram ſolve in 4. libris fontanæ deſtillatæ ſuper igni, deſpuma filtra & coagula in ſalem. Cæſalpinus tamen lib. 1. de Metall. cap. 20. ſcribit, Venetiis Borracem confici ex cremato lapide quodam candido & fiſſili, quem *Boracem crudum* vocant. Untzer. l. c.

Ut

Ut mihi Venetiis relatum fuit, conficitur Borax Venetus ex *Nitro nativo*, cinereo, duro, gleboſo: ex borace non excoctâ, quam pro foſſili nitro ſunt qui habent, inquit Adrian. Junius in Dictionario: cujus particulas mecum attuli.

Borrace faſſi d' una pietra traſparente, la quale ſi chiama *Borrace non riſalla*. Et ſecundo alicuni è una ſpetie di nitro foſſile. Fr. Sanſovino della mat. med. l. 2. pag. 257.

Laborace è nota nelle ſpeciarie, faſſi d' una pietra traſparente, la qual ſi chiama *borace non riſalla*, & come alcumi dicono, è una ſpecie di nitro foſſile. Girol. Caleſtani Parmigiano delle Oſſervationi part. 1. pag. 26.

Das Saltz Borras iſt zweyerley Geſchlecht/ das erſte wird gegraben/ſo die Welſchen *Borrazo natural* nennen / iſt an der Farbe graulich / doch feſt und compact, ſcharff und ſeußlich / ſo es geleutert / wird es von ihnen *Borrazo finiato* genant. J. Tholden. Haligraphiæ part. 1. c. 3. pag. 20. & ex hoc Schröder. pharm. med. Chym. l. 2. c. 79.

Et hoc absque dubio illud eſt, quod J. B. Birellus ſal agrum vel Barach vocari, longiuſculum, ſubtile, non adeò album, ſaporis acetoſi, acris & penetrantis, non ſalſi eſſe, ex Cayro Babyloniæ, ubi inveniatur, Alexandriam, inde ad Saracenos deferri, qui Barach vocitent; & in Hiſpaniâ in quodam monte propè

Pragam

Pragam etiam reperiri, quod Hiſpani alumen agrum, cum Saracenis alumen eſſe putantes, nominent, ſcribit Alchym. novæ l.10.c.15.

Alex. Pedemont. dicit, ſuperioribus annis conſueviſſe ex Alexandriâ advehi doliola quædam, adipe quodam plena, in medio lapides parvulos continente, quod *paſtam chryſocollæ* nominant, quam Arabum ſcriptores quidam veteres *nitrum Alexandrinum* appellant. Secret. l.6. pag. 229.

Hiſce vero temporibus ex occidente quoque advehitur, neſcio quâ de cauſâ, an ſcilicet ibi facta ſit, vel aliunde, nempè ex Indiâ apportetur, propterea quod magnam ſuperioribus annis hic fuiſſe penuriam, intelligerent. Eo enim tempore uncia una vendebatur coronato uno, quo nunc libra haberi facilè poteſt. Modus autem parandi iis in locis ſic ſe habet. In auri & argenti atque etiam æris fodinis, aquam quandam inveniunt, quæ (quemadmodum ego ipſe non ſolùm vidi, ſed etiam expertus ſum) per ſe ipſa eſt apta atque perfecta, ad conſolidandum, liquandum, vel aurum, vel argentum, id quod etiam in Germaniæ quadam parte ſuperiore comperi, ubi ſimilis aqua invenitur, omnibus adhuc incolis incognita. Sumunt hanc aquam unà cum fæcibus, quam coquunt ad certum ſpacium, quæ ſic colata, ſpatio temporis in lapides parvos, ſalnitro haud abſimiles, cogitur. Quoniam autem hi

lapides

lapides conſiſtere ſic nequeunt, ſed diſſolvuntur, fit ut lapidibus unà cum ſuis fæcibus in fundo relictis, tanquam nutrimento, axungiam porcinam, vel alterius animalis pinguedinem addunt.

Hoc facto, ad fodinas ſeſe conferunt, ibiq; foſſam amplam faciunt, cujus fundum eâ materiâ inſternunt, & ſuper hanc lapillos, quos diximus, collocant: deinde rurſus adipis maſſam, mox iterum lapillos, atque ita pergunt ad eam, quæ placet altitudinem, alterum ſuper altero collocantes, ſic tamen ut extremum ſtratum ſit ex illâ pingui materiâ: ibi per menſes aliquot apertam relinquunt, quamquam pleríque hæc omnia domi in terrâ, aut in amplis vaſis faciunt. Quum autem libet vendere, atque aliò mittere, dolia vel parva vel magna, ut videtur, eâ materiâ unà cum lapidibus replent, & hoc paſtam chryſocollæ ſive boracis appellant. Mittunt etiam ex jam dictâ paſtâ, ſed eo paratos modo, quo jam diximus: quoniam abhinc triginta annos, major copia factitii, quam ejus pinguis maſſæ afferebatur, propterea quod in Italiâ eâ uti neſciebat, nec reparare aut purgare lapillos norant: itaque nullus ferè ejus erat uſus, præterquam in quibusdam deſtillationibus, ad fucos muliebres eliciendos. Verùm tandem quidam Venetus, & mulier quædam ab ipſo edocta, id refingere & conficere cœperunt, atque inde magnum

quæſtum

quæſtum facere, donec paulatim conficiendi modus & aliis cæpit innoteſcere: quamvis aliis magis aliis minus, & forte pauci ſunt, qui eâ facilitate & bonitate facere noriat, quàm nos hîc perfectè trademus. Sumito itaque hanc maſſam, eam inquam, quæ plurimos in ſe lapillos continet, & rancida minimè eſt: quoniam indicat eſſe veterem, & lapillos eſſe comminutos, atque magnâ ex parte conſumtos: deinde in libras decem paſtæ, aquæ tepidæ mediam ſitulam miſce, & pone in vaſe aliquo teſtaceo, manibus benè pinſando & miſcendo, panis in morem. Quod cum factũ fuerit, coletur optimè, lapidesque in cribro relicti eximantur, ponanturque in catinum, ſuperinfundendo oleum olivarum, ut in acetariis conficiendis fieri ſolet: dein cum ad ſolem benè purgati & uncti manibus fuerint, ponantur in ſacco, miſceanturque probè, quomodo ſacchari confectiones ſolent, & ſervantur in ligneis vaſis, tanquam optima chryſocolla. Quod ſi reficere & multiplicare voles, ſumito aquam illam colatam, atque ad ignem lentum coquito, ad perfectam uſque confectionem, ſpumando tàm fæces quàm ſpumam accurate. Coctionem autem eſſe perfectam, tribus modis licet cognoſcere, primò, ſi aquæ gutta ſuper unguem poſita non diffluit: ſecundò, ad modum ſyruporum ſi in charta hæreat, aut quod eſt tertium, ſi funiculus in eâ intinctus, &

inter

inter digitos ductus, aſperitate quadam digitos tentarit: ſi cocta fuerit, cacabus ab igne auferatur, & operculo ad hoc aptè parato, ne quid ſordium ingredi queat, operiatur: mox in furfuris cumulo ſepeliatur, ſuperque furfur craſſioribus pannis, aut lodice, aut culcitrâ, preſsè admodum contegatur: poſſes etiam fimo calenti, per 8. vel 10. dies condere. Quod cum factum fuerit, auferatur, & invenies pinguedinem quandam, ſive cruſtam, in ſuperficie, quam deſumptam, ſepones: Invenies præterea tanquam glaciei fruſtula, quæ pariter exempta, inque alio vaſe poſita, aquâ diligenter elues, & in umbra ſiccabis. Quo facto, illos lapillos, qui in ſetaceo cribro remanſerant, cum his noviſſimis miſceto : inde aluminis ex vini fæcibus albi, ſed non ex eo, quod pro ſpecimine proponi ſolet (nam id inutile eſt) ſed ex optimo, lib. iij. ſalnitri ℥viij. aquæ communis ſitulas tres, miſceantur & ponantur ad ignem lentum deſpumando benè, donec perfectè ut prius cocta fuerint. Quo facto, auferatur ab igne, & reponatur donec optimè reſideat, tum ſumito hujus aquæ ſitulam unam cum dimidiâ, ponatur ad ignem lentum & cum fervere incipit, addito prædictæ pinguedini, vel cruſtæ ſive cutis ſuperiꝰ exemptæ lib. vijß. coquantur quantum ſatis eſt ut prius, tùm ab igne removebis, ponesque in ligneo vaſe aliquo, ſupraque vas duos baculos

baculos decuſſatim collocato, è quatuor baculor. angulis ſingulos funiculos alligato, ſed ut funiculi tendantur, ad ſingula capita plumbi fruſtum appendito, ac ſic in materiam demittito, ita tamen, ut à fundo digitos 4. abſint: hoc autem fit, ut materia ad funiculos adhæreſcat. His rebus adminiſtratis, eo modo condes, ut aliud ſupra feciſti. Hoc autem in ſacco, id eſt, in fovea non ponitur, ſed, ubi eximendum erit, quod funiculis adhæſit, pennâ oleo imbutâ linitur, reliqvum verò cacabo adhærens, oleo erit conſpergendum. Cæterum lapilli, qui eximentur, non ſint minores avellanis: qui autem minores ſunt relinquantur in aquâ, ac rurſus coquantur, ut ſupra: atq; ſic continuando, donec omnis aqua in chryſocollam convertatur. Verùm hoc notandum videtur, ut primæ maſſæ in aquâ tepidâ diſſolvendæ addatur ciceris inſtar, coaguli leporini, quo melius reliquæ chryſocollæ partes coagulentur. Idem Alex. Pedem. l. c. p. 229. 230. 231. 232. quæ verba ideò tranſcribenda putavi, quod multa pulchra, huc facientia, contineant.

De borrace pingui quæ ſcripſerit Rondel. vide ſupra circa finem capitis 13.

Modos Boracem ab alumine rochæ (quod pro eo venditatur, & quo Boracem impoſtores adulterant) diſcernendi, ex ſapore, formâ concretionis, ignaviâ in conſolitandis metallis & uſtione, vide apud Alex. Pedemont. Secret. l. 6.

l. 6. pag.228.229. J. B. Birellum in Alchym. novâ l. 1. c. 115.

In uſu autem eſt Borax tùm aurifabris, tùm Medicis.

Aurifabris: *ad aurum glutinandum & facienda metalla fluxilia*. Vide caput ſequens.

Medicis: Veneti præcipuè uſus mirè prædicatur *in partu difficili facilitando*; *molâque ac fœtu mortuo & ſecundinis expellendis*; *menſibusq́, movendis*, ſi exhibeatur cum aquâ cinnamomi vel pulegii, artemiſiæ, ſavinæ &c. aut alio liquore aut ſucco adpropriato. Untzer. de ſale l. c. Crato conſ. 363. Fallop. de metall. c. 31. Varandæus de morb. l. 2. c. 6. p. 385. Helid. de Padoanis conſil. pag. 197. & exinde Pharmacop. Auguſt. claſſ. 9. Montuus, Lobel.

Rondel. pract. l. 3. c. 67. 65. F. Platear. Prax. T. 1. l. 2. c. 9. pag. 449. Steegh. med. pract. l. 9. c. 12. Herlicii Frauenzimmer c. 23.

Doſis autem hujus eſt à ℈j. ad ℥ß. & ℥j.

Hinc Mynſicht. borracem Venetum aſſumit in pilulas de Sabinâ: Theſ. chym. med. ſect. 6. aquam Dominarum: ſect. 19. decoctum contra menſes ſuppreſſos: ſect. 25. ſpecies diaberracis: ſect. 5. pag. 115. pulverem Henr. ab Heer obſ. 14. pulverem ad dyſtokiam: Pharm. Aug. cl. 9. Aug. Clutius in potionem de Nuce Medica in difficili partu. c. 13. pag. 51. & c. 12. pag. 45.

Peſſario ad molam matricis, boracem & lapidē laz. addit Paracelſ. Bertheon. de apoſtemat. c. 57. pag. 213.

Probatum experimentum contra difficilem partũ, teratur borax & diſtemperata cum vino detur, vel ſuper omnia ſuperpoſita in hoc caſu valet. Plat. expoſ. in Antidot. Nicolai f.m. 226.

Ad menſtrua provocanda & fœtum mortuum & ſecundinam, fiat ſuppoſitum ex borace & centro galli benè decoctis in vino. IdemPlatear. de ſimpl. med.lit.B.pag.m.229.

Commendatur Borrax Venetus *in languidâ Venere virorum*, quibus genitalia ignava ſunt, excitandâ, ſi ciceris quantitate in ovo ſorbili offeratur. Untz. l.c.

HincMynſicht voluit ingrediens eſſe ſpecier. dia Veneris: Theſ. med. chym. ſect. 5. Rotular. ſtimulantium: ſect.7. Morſulor. virilium: ſect.8. Confectionis magnanimitatis: ſect. 13. confectionis pacificæ de Succoladâ Inda: ibid confectionis Satyrii: ibid. Decocti Satyriaci: ſect.25. Auguſtani Electuarii magnanimitatis: Pharmacop. claſſ. 14.

Ad *faciem clarificandam, & pannum removendum, maximè quod ſit poſt partum, & etiam ſi fiat ex calore aëris*, pulvis ejus conficiatur cum aq. roſ. & facies illiniatur. Ad faciem mundificandam, & depurandam, conficiunt mulieres cum melle albo diſpumato & mundato, & cum ung. citrino. Conficiunt etiam unguentum ex gallinaceâ aſſungiâ cum pulvere boracis, & facies illliniunt. Nota quod in ij. ℥. aq. roſar. poſſunt poni ℈iij. barocis: in 1. lib. mellis ponatur ℥j. boracis. Idem Platear. de ſimpl. medic. l.c. Mu-

Mulieres quædam baroce utuntur ad faciem dealbandam, & cutem mollem venuſtamque reddendam, propterea quod neque dentibus neque cuti ullam perniciem afferat. Alex. Pedem. Secret. l. 6. pag. 227.

Mynſichtus Decocto contra omnes faciei maculas & ad dealbationem cutis, cum mercurio ſublimato addit Borracem Venetum: ſect. 25. pag. 380. 381. balſamo ſaponis, ad manus nivis inſtar dealbandas, cutimq; nitidam mollem reddenti: ſect. 34. pag. 485. aquæ coſmeticæ ad faciem clarificandam & dealbandam, omnes faciei maculas & lentigines tollendas, & ictericorum cutis fœditatem emendandam: ſect. 19. p. 332 333. Alex. Pedemont. unguento ad faciem: Secret. l. 4. pag. 169. aquæ ad faciem & alias corporis partes commendandas: idem ib. pag. 161. & 163. aliæ aquæ ad faciem coſmeticæ addit paſtam chryſocollæ, de quâ agit l. 6. pag. 229. ib. l. 4. pag. 158.

Rondelet. immiſcet linimento: Pract. de fucis pag. 1260. 1271. 1273. aquis coſmeticis: ibid. de fucis pag. 1258. 1264. 1270. 1271.

Aquis coſmeticis, M. Panſa pharmac. l. 2. c. 17. pag. 105. L. Fioravant. Capricci medic. l. 3. c. 90.

Nicolaus Præpoſitus unguento citrino vel de citriis, in Diſpenſario l. 2. p. m. 82. In quâ tamen compoſitione in pondere boracis variant deſcriptiones. Nicolaus l. c. Sylvius in annot. ad Meſue Antidotar. diſt. 11. fol. m. 190. habent ℥ij.

Pharmacop. Auguſt. claſſ. 17. habet ℥ij. cum priora exemplaria habuiſſent ℥j. Similiter ℥ij. habet Platear. in expoſ. Antidot. Nicolai f. m. 226. L. Joubert. Pharmac. ſect. 4. f 531. G. Rondelet. de fucis, p. 1246. J. Renodæus antidotar. l. 4. c. 25.

Intelligitur autem haud dubiè chryſocolla factitia. Venetâ enim utitur Zwelfer. animad. in ung. citr. Pharmac. Aug. claſſe 17.

Variis coſmeticor. formulis, *faciem & manus dealbantium, maculas rubras delentium, ruborem faciei emendantium, vitiligines, lentigines, originalesque nævos* âbolentium, F. Plater. borracem addit Prax. T. 3. l. 1. c. 2. pag. edit. in 4to. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 149. 150. 154. 155. 156. 157.

Chryſocolla ſive borax *dentes expolit, exterit dealbatque* M. Sebiz. de Dentib. diſp. 4. th. 127. Hinc aquæ ad dealbandos dentes & ad *gingivar. eroſiones* addit F. Bartolet. Encycloped. p. 193. Tincar confert corroſioni dentium ſuâ proprietate. Avic. l. 2. canon. tr. 2. c. 704.

Borax in aceto maceratus *dolori dentium medetur*. Sebiz. l. c. th. 165. in aquâ regali M. Panſæ. Pharmacothec. l. 2. c. 17. pag. 111. Tincar confert dolori molaris. Avic. canon. l. c.

Empiricus quidam *calculos veſicæ* in quibusdam curabat cum Borrace mixtá aquâ ardente ad craſſitudinem mellis, admixto etiam trito Tartaro, aut calculo ab homine exciſo, aut fæce urinæ in matulâ. Jubebat per 14. dies hoc medicamento uti, ut ſemper parum ejus vino bi-

bendo

bendo etiam in prandio & cœnâ admiſceretur &c. M. Untzer. Florileg. de Nephritide l.2. pag. 117. & in aucto pag.223. ex Geſnero. Sunt plurimi uſu boracis admiſto tartaro trito ex vino, valetudini priſtinæ reſtituti. H.A. Rietmakers de Nephritico dolore. pag.68.

Et hoc ipſum abſque dubio vult Jan. Damaſcen. dum ita : Aliud frangens lapidem. Sumantur baurach Armeni drach. 5. terantur & conficiantur cum melle, & diſſolvatur cum ſucco raphani quantitas unc.2. & detur ex eo in omnibus tribus diebus. l.6.c.21.

Niſi nitrum (quod Baurach Arabes vocant) intelligit: ſicut l.4.c.16. habet Nitri Armeniaci &c.& Avic. l.2.cā.2.tr.c.87.& l.3.Fen.18.tr.1.c.19. Baurach Armenum commendat.

Chryſocollæ factitiæ ſecundam ſpeciem, *ad ulcera difficilia ſanatu*, optimam eſſe, aſſerit Galen. l. 10. ſimpl. de urinis.

Commodiſſimum medicamentum eſt *ulceribus malignis*, tùm per ſe, tùm idoneis ad eandem rem pharmacis ammixtum. Aët. tetr.1. ſ.2.c. 81. Vide cap. præcedens.

Pulveri *ad antiquas nomas*, & *ad gingivas cruentas*, & *deprimendam carnem excreſcentem*, additur chryſocolla factitia. Aët. tetr.4.ſ.2. c. 50.

In *impetigine faciei* borace utitur Rondelet. de fucis pag. 1162.

In *alopecia* baurach utitur Val. de Tar. Phil. l.7.c. 51.

In *ſerpigine* borace uſto; idem Rondel. l c. p. 1277.

Medicamētis *mammar. incrementum cohibentib' additur borax*. Platear. Prax T. 3. l. 1. c. 1. p. 44.

CA-

CAPUT XIX.

De uſu Chyſocollæ tùm nativæ, tùm factitiæ, extra uſum medicum.

IN uſu eſt chryſocolla metallicis, pictoribus, aurificibus, Chymicis, pompoſis.

Ex chryſocollâ (nativâ) *conflatur optimum aurum* Goldbergæ in Sileſiâ. Encel. de re metall. l. 2. c. 21. & l. 1. c. 4. Argentum rude candidum in chryſocollâ durâ, Suacii ex alpibus: ein rein angeflogen Silber in einem harten Berggrün; habet in arculâ rer. foſſ. Kentmann. pag. 60.

Pictores omni chryſocollâ utuntur. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. præferunt tamen Hungaricam.

Aurifices eâ ſolâ, quâ aurum cum auro, aut argentum cum argento agglutinatur. Agric. l. c. ad quod efficiendum jam borace Veneto utuntur; ad agglutinandum vero argentum cum argento, prædicto boraci admiſcent ſal fuſum & fel vitri.

Utuntur & hâc (chryſocollâ) noſtri *ad auri & argenti ſcobem liquefaciendam*, atque in unum corpus cogendam. Alex. Pedem. Secret. l. 6. pag. 227.

Purificat etiam corpora metallica.

Katzengold oder Silber. Talchſilber fein zu machen/nim antimonium, und zulaß den wohl in einem Tiegel / und thu den Talch klein zurieben darein / und darzu Wißmund und Venediſch

Glaß

Glaß klein gerieben / auch Boras und Saliter. ſi vis malleabile, tunc fac cum borrace in tigillo. Andr. Jeßner Kunſtkammer lit. E. v. b.

Eiſen mit Kupffer löthen. Nim Boras, Roſt aus dem Schorſtein / gleich viel / durch einander gerieben macht flüßig auf Eiſen löthen. Idem lit. f. 2. b.

Glüewachs. Darzu wird neben rubricâ fabrili, vitriolo, ærugine, chryſocolla minerali: (Berckgrün) ære uſto, auch boras genommen. Idem lit. G. 36.

Chymici quidam boracem addunt antimonio calcinato, indeque præparant vel vitrum rubicundiſſimum. Untzer. de Sole l. c. & alii ex Baſilii curru triumphali ℥ii. vel vitrum album. J. Schröder. pharm. med. chym. l. 3. c. 17.

Cum eodem etiam vitrificatur mercurius vitæ. Mynſicht. theſ. & arm. Chym. ſ. 1. pag. 19.

Additur etiam compoſitioni ſalis Alebroth, apud J. B. Birell. Alchym. novæ l. 10. c. 5.

Chryſocollâ Nero princeps ad ſpectacula eſt abuſus. Eâ enim arenam circi ſtravit, cum ipſe, inquit Plinius, concolori panno aurigaturus eſſet. Agric. l. c. ex Plinio.

Caligula minio & chryſocollâ ſolum ſterni mandavit. J. Roſinus antiq. Roman. l. 5. c. 4. ex Suetonio in Caligula.

Heliogabalus circum maximum columnis pulcherrimis, auroque illuſtravit, cujus pavimentum ex chryſocolâ fecit. Eſt enim chryſocola

cola materies naſcens poſt aurum effoſſum, auri quidem colorem retinens, cum ſit lapis. J. J. Boiſſard. Antiq. Roman. part. 2. cap. 60. ex B. Marliani Topographiæ urbis Romæ l. 4. c. 11. & part. 1. pag. 60. Vide ſupra c. 12.

Colores autem in pannis aurigantium in circo factiones diſtinguebant, inter quos præcipuus ferè erat praſinus vel viridis, cui maximè addictus erat Caligula. Vide J. Roſin. l. c c. 5. & Th. Dempſter. addit. in Roſin. l. c. pag. 196. 197.

CAPUT XX.

De valore chryſocollæ.

TRibus chryſocollam generibus diſtingvunt: aſperam, quæ taxatur in libras vij. mediam, quæ denariis quinis: attritam, quam & herbaceam vocant, quæ xiij. Agric. de nat. foſſ. l. 3. c. 19. ex Plin. l. 33. c. 5.

F I N I S.

A d i 14564 09